

Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

Presented by

Mrs Leech.

A.D. 1914.

1470 d. 17
T. Text. GR. 350



66/41

ANTHOLOGIA GRAECA

CARMINUM CHRISTIANORUM

ADORNAVERUNT

W. CHRIST ET M. PARANIKAS.

LIPSIAE,
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXI.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PRAEFATIO.

Mirabundos audio meos amicos quaerentes, quo tandem pacto factum sit, ut a graecorum romanorumque poetarum tersa urbanitate veterumque scriptorum elegantia atque libertate ad christianorum hymnorum gravitatem Byzantinorumque spinas atque acumina deferrer. Qui ne vela me retrorsum dedisse transfugamque in aliena castra secessisse suspicentur, paucis iam exponam, quid rei me impulerit, ut studiis meis prioribus non relictis sed repositis huic litterarum generi per plus quam biennii spatium impensam operam navarem. Atque metricam quidem disciplinam Graecorum plene perspici non posse cognoveram, nisi quas vices illa subiisset, accurate quaesitum et distinctum esset. Qua de causa veterum poetarum versus pangendi studiis examinatis, ad recentiora tempora delato ne christianorum quidem vatum artem neglegendam esse duxi. Quid? quod huic carminum generi eo magis animum nos advertere par erat, quod inde non nihil subsidii ad difficillimas quaestiones metricas solvendas redundaturum sperabamus. Nam neque christianos vates a veterum poetarum arte plane descivisse verisimile est et carmina eorum, quo propiora iis carminibus sint, quorum moduli musici etiamnunc exstant, eo plus inde lucis accipere patet. Atque latini quidem hymni et vergentis antiqui et inchoantis medii aevi Dresselii, Danielis, Monii, Wolfii, Schubigeri, aliorum ope tam docte et subtiliter illustrati sunt, ut doctissimorum editorum interpretumque vestigiis tuto insistere possis. At graeci adeo adhuc neglecti iacebant, ut neque commoda criticisque fundamentis innixa editio suppeteret neque de metricis rhythmicisque legibus, quibus versus eorum adstricti essent, certius quidquam constaret. Rud. enim Vormbaum, qui in Danielis Thesauri hymnologici volumine tertio delectum carminum ecclesiae graecae edidit, cum leges, quas poetae christiani in versibus factitandis secuti erant, nullas perspexisset, neque bonorum librorum auxilio in periodis membrisque digerendis adiutus esset, adeo omnia susque deque habuit, ut ne novem odas quidem, quibus singuli canones constare solent, separaret. Tantis in turbis quid mirum erat, quod viri docti artem illorum poetarum ut omni impedimentorum genere obstructam et quasi sepultam expediri posse desperaverunt? Mihi diu multumque rem frustra tentanti tandem aliquando caligine paulatim discussa artis lineamenta,

numero syllabarum et accentuum concentu definita, clarius apparere coeperunt. Inde in meo exemplari Danielis Thesauri hymnologici turbas removere odasque suos in versiculos dividere conabar, cum felici casu tentamina mea duabus de partibus egregie promota sunt. Atque primum quidem Haneberg, reverentissimus coenobii Benedictorum Monacensis antistes, de Pindari periodis versiculisque in academia nostra me disserentem similis artis commonuit, qua byzantinorum poetarum hirmos et troparia composita esse vir doctissimus J. B. Pitra in libro de hymnographia ecclesiae graecae nuper demonstrasset. Continuo librum a collega humanissimo mihi commodatum perscrutatus cum summo gaudio intellexi, lineolas a me ad separandos versiculos positas non modo auctoritate viri litterarum byzantinarum inter paucos periti sed etiam, id quod multo plus valet, fide vetustissimarum membranarum comprobari atque confirmari; cum enim in illis singula cola punctis distincta essent, iam certo et comprobato fundamento indagatio numerorum niti videbatur. Tantum autem aberat, ut Pitra, quamvis egregiis subsidiis adiutus esset, artem poetarum ecclesiasticorum plane perspiceret ut mihi iam ante librum eius perlectum certae cuiusdam rei suspicio subnata esset, quam virum doctissimum fugisse non possum non mirari. Ille enim, cum strophis eorumque colis ex codicum fide divisis versiculos, qui in singulis strophis sibi invicem responderent, pari syllabarum numero constare recte intellexisset, una numeri syllabarum lege artem byzantinorum poetarum coerceri iudicavit. Hoc cum neque per se ipsum probabile esse videretur neque analogia hymnorum latinorum commendaretur, tum ex comparatis his octo versibus sibi respondentibus (apud Pitram p. XXXIV et in nostra editione p. 239)

προτυπῶν τὴν ταφὴν τὴν τριήμερον. Τὴν φωνὴν Γαβριὴλ τὴν χαρμόσυνον.
παραδόξως ὑπέμεινας σταύρωσιν. ἡ χαρὰ, θεομῆτορ, ἡ ἔνθεος.
τῇ τῶν ζώντων ζωῇ καὶ δεσμούμενος. δι' ἐμοῦ καταργείσθω κατάκριμα.
τὸν δεσπότην, παμμάκαρ, τῆς κτίσεως. ὁ θεὸς Ἀβραὰμ τῷ προπάτορι.

satis certe falsum esse coarguitur. Luce enim clarius est, non forte fortuna accidisse, sed a poeta data opera provisum esse, ut ne omnium octo versuum tertia, sexta, nona quaeque syllaba accentu careret. En praeclarum adiumentum, quod hac re percepta lucramur ad artem poetarum byzantinorum aestimandam et ad locos corruptos vel lacunosos restituendos. Accentuum enim ex concentu colligere possis, utrum carminis numeri assurgant an descendant, utrum sedate incedant an velociter rapiantur; denique rhythmum, quem veteres poetae certo ac definito longarum et brevium syllabarum ordine expresserant, a poetis graecis medii aevi accentu indicatum sentias. Equidem eo confidentius hanc vim accentuum concentui in byzantinis carminibus assignavi, quod idem fere in latinis sequentiis, graecorum tropariorum illis quidem simillimis, accentus valere inter omnes constare noveram. Neque tamen haec res in omnibus versibus aeque atque in octo illis colis in

aprico posita erat. Ut enim eorum colorum, quae speciem anapaestici vel dactylici numeri induerunt, omnes fere pedes accentu significati sunt, ita longe plurimis in versibus plerosque accentus nullo ordine fluctuare, paucos certae sedi adhaerere cognovi.

Praeterea aliam rem a Pitra neglectam tamquam per nebulam atque caliginem cernere mihi visus sum. Aliorum enim versiculorum confiniis mediam sententiam haud raro dirimi nec non nominum compositorum partes discindi, aliorum cum finibus maiorem quoque interpunctionem tantum non semper coniunctam esse animadverteram; inde versus non omnes pari modo disiungendos, sed plures in singularum periodorum societatem coniungendos esse eo certius conclusi, quo magis haec ratio et veteris poesis analogia et ipsa cantus natura confirmari videbatur.

Haec cum animo volutabam et veteris disciplinae metricae vestigiis insistens singularum odarum cola atque periodos volgaribus notis describebam, doctus quidam iuvenis Graecus, Math. Paranicas, cuius industriam atque multifariam doctrinam iam antea cognoveram, me salutatum venit. Pauca igitur de aliis, de quibus sententiam me rogaverat, rebus confabulatus sermonem ad eas quaestiones transtuli, ad quas enucleandas totus tum incumbebam. Ille cupidissime me de cantilenis, quas puer didicerat, disserentem audire et primum vultu, tum voce significare, quantopere rationes a me propositas comprobaret. Quid multa? Alta iam voce celeberrima carmina cantare exorsus recte cola ac periodos me diremisse, et quid accentuum concentus in melodia valeret, luculentissime demonstravit. Summo igitur gaudio perfusus rem feliciter et inventam et comprobatam amplius persequi literisque mandare constitui, et praeclaro exemplo edoctus, quantum vivae vocis peritia umbratici doctoris commenta adiuvarentur, Paranicam socium laboris adscivi.

Atque primum quidem modica commentatione lineamenta artis byzantinorum poetarum adumbrare exemplisque paucorum carminum illustrare in animo habebam; mox tamen exiguis dissertationis angustiis me virorum doctorum usui parum prospecturum esse intellexi. Neque enim commodus delectus hymnorum christianorum, quo lectores delegarem, exstabat, et voluminosae editiones Venetae Menaeorum, Triodii, Pentecostarii privato censu maiores esse videbantur. Quam ob rem fines libri prolatare et commentationem de arte metrica et musica byzantinorum melodorum cum anthologia graeca carminum christianorum coniungere decrevi: arduum mehercle et laboriosum opus, quod diu reluctatus et paene invitus suscepi. Nova enim spatia mihi, tot tantisque negotiis alioquin distracto, permetienda esse intellexi et animum meum veterum scriptorum libros elegantissimorumque poetarum carmina in deliciis habentem gravate ad hoc literarum genus avocavi. Neque hoc ita dico, tamquam christianae doctrinae gravitatem cum Musarum decora gratia coniungi posse negem, aut sacrae poesis maiestatem prae levitate profanorum carminum spernam atque contemnam. Immo vero

Davidis psalmorum grandem sublimitatem venerabundus admiror, neque latina nostra carmina ecclesiastica ultimum locum inter multiplices Musarum foetus obtinere iudico. At homines byzantini ut in reliquis vitae humanae studiis, sic in hoc quoque literarum genere artificiosam quandam subtilitatem potius quam veros animi affectus sequebantur, quo factum est, ut plerique melodi, cum divino afflatu et gratae simplicitatis sensu carerent, theologicarum rixarum spinas atque argutias suis carminibus intexerent. Accedit quod canones, quo hymni genere nulli magis studebant, et prolixiores et angusto sententiarum orbe inclusi sunt, unde usu venit, ut et eaedem res usque ad satietatem recoctae taedium animo moveant et compages carminum plerorumque alienis sententiis admixtis turpiter laxatae dehiscant. Quamquam igitur inter byzantina carmina non deerant, quae et sententiarum gravitate et modorum dulcedine me quam maxime captum tenerent, tamen multo maior pars idiomelorum et canonum animum ita defatigabat, ut plus semel onus gravissimum meis cervicibus impositum excutere cogitarem. Contra mecum reputabam, quam turpe esset rem, qua literas haud mediocriter me promoturum multisque gratam operam praestaturum esse confisus eram, fastidio quodam animi derelinquere; nec non amicorum adhortationes atque indefessa socii mei Paranicae industria animum deficientem denuo erigebant et stimulabant. En, benevole lector, ad umbilicum perductum librum, quo thesauros paene reconditos poesis byzantinae reclusimus, singularem quandam versus faciendi artem aperuimus, multas quaestiones de generibus ecclesiasticorum carminum eorumque auctoribus illustravimus, denique falsas opiniones haud paucas removimus atque redarguimus.

Priusquam autem prooemiandi finem faciam, de ambitu huius anthologiae, de criticis subsidiis, de commentariis et indicibus pauca mihi praemonenda esse video. Atque primum quidem hanc anthologiam non intra fines byzantini imperii coercere, sed vetera carmina christiana adiicere mihi visum est. Quamquam enim quaestionibus de byzantinis hymnis pertractatis ad hunc librum conscribendum adducti eramus, tamen praeclara illa monumenta veteris poesis christianae eo minus excludenda duximus, quo acceptiorem viris doctis commodam eorum editionem futuram esse sperabamus. Namque liber Boissonadii, qui Synesii hymnos et Gregorii odas selectas in quinto decimo tomo Poetarum graecorum sylloges edidit, dudum divenditus est, et Danielis Thesaurus hymnologicus Synesii, Methodii, Naassenorum carminibus caret. Byzantina vero aetas cum ecclesiasticis melodis fecundissima fuisset, nos ea potissimum carmina selegimus, quae graeca ecclesia in Officiorum libros receperat et sua quasi auctoritate sanxerat. Neque solum ecclesiastica carmina hoc libro edenda curavimus, sed etiam alia quaedam, quae, cum numquam in coetibus hominum christianorum cantata essent, tamen ad sacras res et ad doctrinam christianam pertinere videbantur; qua in re vereor, ne in criminationes atque calumnias eorum incidamus, qui haereticorum quoque Naassenorum psalmo et Synesii hymnis,

quos philosophicos rectius quam christianos dicas, locum concessum esse aegre ferant. At nos, cum nec odio nec studio traheremur, quidquid praeclari carminis vates christiani divino spiritu inflati composuerant, oblivione obrui noluimus.

Subsidia autem critica in singulis carminibus recognoscendis partim ex libris et manu scriptis et prelo excusis hausimus, partim mentis acumine ipsi peperimus. Atque ecclesiastica carmina ita hominum animis infixa haerebant et cantorum modis numerorumque legibus ab effusa labe tuta erant, ut codices excussi vulgatas lectiones fere ubique confirmarent, et raro coniecturas ad numeros restituendos aut sententias expediendas tentare cogeremur. Neque tamen illa omni interpolatione vacasse cum libris collatis, tum argumentatione facta plus semel evicimus. Namque et Mariae cultu inde ab nono saeculo in dies latius patente multa theotokia addita sunt, et libri passim ita variant, ut cum alius aliud verbum vel colum exhibeat, tamen utraque lectio et syllabarum numero et accentuum concentu concordet. Quin etiam hic illic per longam saeculorum seriem latius corruptela gliscit, ut troparia sui hirmi numeros non iam sequi viderentur: quod ubi factum est, recentiores Graeci, utpote qui musicas modulationes variandi, quam artem criticam factitandi peritiores essent, veterum magistrorum praeceptis plane neglectis eiusdem odae alii strophae alios modos accommodaverunt. Insigne huius rei exemplum in Ioannis canonis septimi versu decimo septimo p. 222 exstat, ubi numeros versus in vulgata lectione et Pentecostarii et Hirmologii Στερέωσόν με, Χριστὲ, ἐπὶ τὴν πέτραν misere turbatos nos codicis A lectione τὴν ἄσειστον πέτραν revocata feliciter sanavimus. Aliis locis, cum codicum subsidiis parum adiuti essemus, inveterata menda indicare quam removere cautius esse duximus. Neque enim carminum ecclesiasticorum tam amplam et electam critici apparatus supellectilem comparare nobis contigit, ut satis firma ubique fundamenta artis criticae nos iecisse gloriemur. Immo vero alios, quibus Corinthum adire licet, publice admonitos velim, ut Romanas, Parisinam, Russicas, Graecas bibliothecas perscrutati nostram penuriam suis divitiis augeant. Nos quidquid bibliothecae Monacensis et Vindobonensis suppeditabant, sedulo rimati neque Triodion neque plena Menaea reperire potuimus, quamquam vel exiguis his subsidiis instructi multos locos partim emendavimus partim perpolivimus. Idem valet de Synesii et Gregorii hymnis, qui, licet codicibus nec bonitate nec vetustate insignibus usi simus, tamen primum in hac editione iusto apparatu critico instructi prodeunt.

Ad postremum ut, quo consilio in libro adornando et partibus digerendis usi simus, edisseram, Prolegomenorum libros quatuor praemisimus, quorum primo cum poetarum recensu historiam christianae poesis graecae contexere, altero de singulis generibus carminum et ritualibus libris disserere, tertio artem versus faciendi poetarum byzantinorum explicare, quarto de musica disciplina disputare visum est; quarum partium paenultimam carminibus aliquot in nostram linguam conversis, ultimam melodiis ab Eustathio The-

reiano, archimandrita Tergestino, commodatis illustrandam curavimus. Latine quod de his rebus disputavimus, vereor ne multi, praesertim musici, qui, cum parum latine calleant, tamen artem illam singularem byzantinorum melodorum cognoscere cupiant, vituperent et conquerantur; et multo, si dis placet, lubentius ipse patria lingua usus essem, sed in libro de graecis rebus ad Graecos potissimum mittendo et omnium nationum hominum elegantiorum, quibus haec studia cordi sunt, usui destinato cum aut graece aut latine mihi loquendum esse intellexissem, ea lingua uti malui, qua viri docti diversarum nationum et olim in sermonis commerciis usi erant nec nunc uti prorsus destiterunt.

Carmina ipsa ita digessi, ut vetera a byzantinis seiungerem, in his autem ordinandis et genera carminum et poetarum tempora spectarem. Textui verborum lectiones varias codicum et editionum subieci, quo in apparatu quod vel apertos errores optimorum librorum enotavi, ii non reprehendent, qui quam saepe iam ex ductibus literarum vulgo neglectis sagacis viri acumine manus auctoris recuperata sit, usu cognoverunt. Bartholomeus enim Cutlumusianus, qui nostra memoria Menaeis et Triodio ecclesiae graecae edendis egregiam operam navavit et vetustissimos codices se excussisse testatur, tamen parum criticam artem promovit restituendaeque genuinae carminum formae profecit, quod neque quos codices contulerit, nec quas quoque loco discrepantes lectiones repererit, plene et accurate adnotavit. Criticis notis breves indiculos locorum veteris et novi Testamenti a poetis expressorum aut significatorum inserendos curavimus, quos colligendi curam Paranicas meus totam in se receperat. Verba vero carminum ipsa, si formam et versus spectes, primum pleraque in lucem prodire videntur; quamquam enim iam saepe prelo excusa sunt, tamen primum in hoc libro eandem speciem, quam reliquarum nationum carmina, prae se ferunt. Quin etiam Teubnerianae officinae egregiis subsidiis adiutus non solum versiculos, sed etiam periodos in sua cola divisas, id quod ne in latinis quidem nostrisve odis factum vidimus, exprimendas oculisque subiiciendas curavimus. Denique corrolarii instar, quod multis exoptatum fore speramus, Paranicae industria duos indices copiosissimos libro subiecit, quorum priore, quo loco cuiusque carminis modi scripti sint, altero, quae carmina poetarum byzantinorum in libros ecclesiasticos recepta sint, cognoscere possis.

Scribebam Monachii sacra hebdomade anni 1871.

WILHELM CHRIST.

PROLEGOMENA.

LIBER PRIMUS.

DE POETIS CHRISTIANIS GRAECIS.

Poetarum agmen in hac anthologia carminum christianorum graecorum ducit Synesius Cyrenaicus. Huic primum locum propterea assignandum duximus, quod ipse in exordio hymni septimi primum se cantilenam Iesu Solymitano, praeclarissimo virginis filio, panxisse gloriatur. Quamquam vereor, ut verius hoc vates Cyrenaicus dixerit, quam poeta Venusinus primum se Aeolium carmen ad Italos modos deduxisse iactavit. Namque ante Synesium iam tertio post Christum natum saeculo inter Ophitas Naassenos Valentinianos haereticos exstitisse constat, qui versibus christianam, quam profitebantur, doctrinam explicarent (cf. Pitra Hymnographie de l'église grecque p. 40 sq.) et quarto saeculo medio Gregorius theologus gravissimis carminibus morum severitatem christianam commendaverat. Verum haereticorum hymnos, quippe quos ecclesia orthodoxos damnasset, Synesius ne numerasse quidem probatur, et Gregorii carminum notitia e remotis Cappadociae regionibus usque in Africanum agrum illo tempore nondum penetrasse videtur. Neque enim ita poetam Cyrenaicum excusarim, ut, quod cantilenae modos (νόμον) se primum in Christi honorem panxisse dixit, vetustiores hymnos, si qui extarent, tamen ad canendum parum accommodatos eum significasse dicam.

Integrum vero librum decem hymnorum quod in hunc delectum carminum christianorum recepimus, merito reprehendere possis, quandoquidem plerique non christianae fidei simplicitatem, sed tumida philosophorum neoplatonicorum de rebus divinis somnia exponunt. Quid? quod quinque tantum hymnos, quintum septimum octavum nonum decimum dico, christianus factus composuisse probatur; quorum septimo tres magos Iesu infanti dona offerentes laudat, nono dominum nostrum ad inferos descendentem rursusque de mortuis resurgentem praedicat, quinto Christi, virginis integrae filii, laudes cum philosophorum placitis de lumine omnium rerum fonte coniungit, octavo, quem ante tertium filium sibi natum (cf. v. 29) i. e. anno 405 aut 406 composuisse probatur (cf. H. Druon Études sur la vie et les oevres de Synesius p. 105 ff. et R. Volkmann Synesius von Cyrene S. 185) suavissimas

preces pro sua, coniugis filiorumque salute fundit. Reliquis sex hymnis poeta christianam fidem adeo non profitetur, ut tertio hymno longissimo, quem paulo post aerumnosam legationem ad imperatoris Arcadii aulam Constantinopolitanam susceptam, sive circa annum 400 eum composuisse ex versibus 427 sqq. et 489 sqq. elucet, deorum auxilium imploret supplicemque omnia templa paganorum se adiisse vv. 449 sqq. testetur. Nihilo secius cunctos decem hymnos hoc libro edendos curavimus, quoniam auctor ipse epilogo decimi hymni omnes in unius libri corpus coniungendos significavit, et exordio primi hymni gravitatem atque sublimitatem Musae his decem hymnis expressam levitati carminum, quae iuvenis Alcaei et Anacreontis more (μετὰ Τηΐαν ἀοιδὰν μετὰ Λεσβίαν τε μολπάν) luserat, contrariam posuit. Namque hoc ipsum Synesii proprium atque peculiare fuit, quod neoplatonicorum philosophorum placitis et christianae fidei praeceptis coniunctis et confusis, quae philosophi de deo omnium rerum principio ac radice, de sapientia (λόγος vel σοφία) inde prognata totiusque mundi procreatrice et gubernatrice, denique de consilio (βουλὴ vel ὠδίς) inter stirpem et prolem medio intercedente praeceperant (cf. hymn. I, 50 sqq. II, 25 sqq. III, 210 sq. IV, 87 sqq. VI, 1 sqq.), haec ad christianorum praecepta de trinitate dei patris, Christi filii, spiritus sancti illustranda et confirmanda conferebat. Eo lubentius autem omnes decem hymnos in hanc anthologiam recepimus, quod altum et elatum spirant animumque arida carminum byzantinorum tenuitate fessum sententiarum sublimitate verborumque audacia recreant atque erigunt.

Ex iis, quae modo disputavimus, illud quoque apparet, cur Synesii hymni numquam inter ecclesiasticas odas recepti sint. Quod enim tum temporis sedulo cavebant, ne hymnis noviciis inter ecclesiastica cantica receptis animi christianorum ipsa modorum dulcedine a vera et incorrupta doctrina christiana ad errores haereticos avocarentur, ad huius quoque vatis poemata pertinebat. Sed ea cantata et lyrae fidibus accommodata fuisse, inde coniicere possis, quod μέλη (I, 51; VII, 9, 42; VIII, 51) ᾠδὰς (I, 5) μολπὰν (IV, 40; V, 50) νόμους (VII, 1) ea poeta appellat et plus semel cantorum vocis (II, 4; IV, 7; VIII, 3) et phormingis citharaeque (I, 1, 13; VIII, 52) mentionem facit. Quamvis autem in contrariam partem hoc afferre possis, quod inde ab Horatii aetate poetae lyrici, licet carmina, quae legerentur, non canerentur, scripserint, tamen fidium, tibiarum, canorae Musarum vocis commemorationem ex iis, quae imitabantur vel aemulabantur, carminibus veteribus ad suas odas transtulisse feruntur, tamen hoc concedas oportet, Synesium iis numeris, quibus cantilenarum auctores illo tempore vulgo utebantur, et ipsum orationem inclusisse. Namque Anacreonticis modis sive dimetris ionicis

⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏓ vel ⏔ – ⏑ – ⏑ – ⏓

in primo et secundo, trimetris ionicis

⏔ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏓ vel ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏓ vel ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

in sexto, logaoedicis versiculis

$$\overline{\smile} _ \smile \smile _ \smile \underline{\smile} \text{ vel } \overline{\smile} _ \smile \smile _ _$$

in septimo octavo nono, tetrapodiis spondaicis catalecticis

$$_ \perp _ \perp _ \perp _$$

in quinto, denique anapaesticis monometris in reliquis hymnis usus est; monometros enim anapaesticos ubique, codicum fidem secutus, constitui, quoniam licentia hiatus et syllabae ancipitis creberrime in fine monometri admissa, ne bina metra sive quaternos pedes in singula cola coniungerem, prohibuit; idem autem quod paucos hypercatalecticos monometros sive catalecticas tripodias (III, 41, 141, 166) coniecturis removendas duxi, vereor ne calidius fecerim. Nam Plautum quoque comicum tripodiis anapaesticis catalecticis dipodias acatalecticas immiscuisse, nuper in commentariis bavaricae Academiae a. 1871 p. 49 demonstravi.

Quod vero doricas odas se canere (I, 4) et doricis modis lyrae nervos intendere (VIII, 1) Synesius dicit, cave de dorica harmonia doricisve numeris interpreteris. Unius enim quinti hymni numeri gravitatem doricae harmoniae prae se ferunt; reliqui quantopere ab ea abhorreant, ex iis quae A. Boeckhius de rhythmis doriis in libro de metris Pindari p. 280 disputavit, facile intellegas. Immo vero doricae odae nomen ad sententiarum severitatem atque sublimitatem relatum voluisse poeta videtur, ut hoc grave et decorum poematum genus petulantiae et levitati lusus amatorii Anacreontis Ionis et Alcaei Sapphusque Aeolum obstrepere significaret. Praeterea ionica dialecto, qua Anacreonteorum auctores cum alii tum Gregorius theologus uti consueverunt, spreta doricas formas verborum adhibere maluit, quo magis tumor vocalium doricarum cum gravitate sententiarum concineret. Nam sua patria, quam a Doribus olim conditam esse constat, nihil poeta, ut dorica potissimum dialecto uteretur, commotus esse videtur. Vulgaris autem dialecti formas, quae multae in textum hymnorum irrepserunt, removere doricisque formis commutare sine codicum auxilio dubitavimus, quod ancipites haerebamus, quid scribarum somniculosorum errori, quid poetae ipsius neglegentiae, denique quid limitibus dialectorum parum discretis tribuendum esset.

Ad postremum ut, quae critica subsidia in hymnis Synesii recognoscendis habuerim, brevi moneam, tres codices Monacenses excussi, quorum primo (A) saec. XIII vel XIV exarato, sed multis correcturis defoedato iam Canterus, qui Basileae a. 1567 horum hymnorum editionem procuravit, se usum testatur, alter (M) recentissimus tot varias lectiones, ex alio libro procul dubio enotatas, in margine et supra lineam adscriptas habet, ut duorum codicum vice fungatur. Pleniorem autem notitiam horum codicum Monacensium qui desiderat, Hardtii Catalogum codicum manuscriptorum graecorum bibliothecae regiae bavaricae vel Krabingeri Synesii operum tom. I praef. X et XIV evolvat. Alio de fonte eoque nonnullis versibus locupletiore (IX, 7—11, 15, 21, 27—29) descendit codex Parisinus n. 1039 (P),

cuius ope Boissonade in Sylloges poetarum graecorum tomo XV nonnullos locos feliciter emendavit. Atque Boissonadii librum, in hoc quidem terrarum sinu rarissimum diuque a me frustra quaesitum, tandem Zottenbergii officiosa amicitia sub ipsa molimina belli atrocissimi Parisiis mihi transmisit. Ipsius autem codicis pleniorem notitiam quod nancisci mihi non licuit, eo potissimum nomine doleo, quod Boissonade paucas tantum varias lectiones inde excerpsit, neque, sicubi a vulgato textu recessit, utrum emendata lectio codicis fide niteretur an ingenii acumini deberetur, religiose adnotavit. Neque J. C. Thylonis, qui lautissimas critici apparatus copias conquisiverat, opera multum adiutus sum, quoniam tam prolixos commentarios conscripsit, ut duobus programmatis non plus quam viginti quinque versus emendaret et illustraret.

Synesii decem hymnos in nostra anthologia carmina selecta Gregorii sequuntur, cui ab urbe, cuius episcopus fuerat, Nazianzeni, et a docta sapientia, qua fidei christianae integritatem contra haereticos defendebat, theologi cognomen inditum est. Huic quamquam secundum locum adsignavimus, tamen primas deferendas esse, si et temporum rationem et carminum indolem spectaveris, supra iam significavimus. Namque medio saeculo quarto eum floruisse et, priusquam Ptolemaidis episcopus hymnos pangere coepisset, anno 389 supremum diem obiisse inter omnes constat. Christianis vero praeceptis iam a parentibus christianis imbutus et acerrimus verae fidei vindex atque defensor factus in carminibus quoque, quae senem se conscripsisse testatus est, christianum fere, non philosophum sese gessit, quo factum est, ut summa apud byzantinos scriptores et melodos auctoritate valeret. De Synesio enim poeta altum silentium, nec Suidas lexicographus ut orationes eius et epistolas, ita hymnos quoque recensuit; Gregorium summum ubique theologum strepunt et praeclarum, quem aemularentur, vatem praedicant. Inprimis Cosmas Hierosolymitanus, celeberrimus canonum et triodiorum poeta, carmina eius divina admirabatur eorumque amplissimos commentarios conscripsit, quos nuper Ang. Maius in Spicil. Rom. tomo II in lucem edidit. Verum enim vero idem Gregorius episcopus, cum rhetorum et philosophorum scholas Alexandriae et Athenis frequentasset et grammatica disciplina diligentissime institutus esset, perpolitae orationis et limatae artis studiosissimus exstitit. Quin adeo nonnihil ex sententiis veterum philosophorum et ipsum hausisse, praestantissimus ὕμνος εἰς θεόν, qui est secundus in hac anthologia, declarat, quo numen divinum, omnium rerum principium et exitum, quod, cum omnia comprehendat, omnia tamen superet, sublimissima oratione praedicans Parmenidis et Empedoclis praeclaros versus feliciter aemulatus est.

Ecclesiasticis in coetibus Gregorii non magis quam Synesii carmina umquam in usu erant. Praeterquam enim quod Davidis psalmis et sacris canticis usu diuturno atque dignitate auctorum sancitis recentiorum poetarum carmina quamvis casta et orthodoxa gravate admiscebant, Gregorii poe-

mata ne apta quidem ad canendum erant. Longe enim maior eorum pars non lyricis cantusque modis accommodatis versiculis, sed longis versibus, dactylicis hexametris vel trochaicis septenariis vel iambicis trimetris, composita est. Huc accessit, quod episcopus Nazianzenus id maxime suis carminibus egit, ut hominum animos ab rerum inanium studio effusaque libidine ad morum integritatem et christianae vitae severitatem revocaret; rerum autem a Christo et apostolis gestarum memoriae pie semper a Christianis recolendae, in qua celebranda poetae byzantini fere toti versabantur, adeo suam musam non dedicavit, ut tertius hymnus εἰς Χριστὸν μετὰ τὴν σιωπὴν ἐν τῷ Πάσχα, quo christianorum post longa silentia laetum ob Christi resurrectionem iubilum expressit, singularem locum inter eius carmina obtineat. Quid? quod ne martyrum quidem casus, qui tam commodam et copiosam materiem carminibus praebebant et a Damaso et Prudentio, aequalibus poetis latinis, praedicati tantum applausum tulerant, suis versibus referre sustinuit.

Quae cum ita sint, mirum non videbitur, quod in hunc delectum poematum, quae proprie carmina sive μέλη dicantur, praestantissimi et fecundissimi poetae pauca tantum carmina recepimus, epici et didactici generis versibus exclusis omnibus. Atque primum quidem celeberrimum ὕμνον εἰς Χριστὸν et suavissimum carmen εἰς τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν, Anacreonticis illa quidem versiculis composita et cum Synesii hymnis fere coniuncta, in hoc quoque libro recudi par erat. His in editionibus plerisque adhaeret hymnus vespertinus (VII), eo nomine insignis, quod antiquissimum rhythmicae quam dicunt poesis exemplum graecum exstat. Numeri enim iambici huius odae non longis brevibusque syllabis sed accentu verborum expressi sunt. Verum non tam arctis limitibus suam artem poeta circumscripsit, ut, quocunque loco veteres poetae productam syllabam collocare soliti erant, ipse acutam syllabam ponendam curaret; sed in eo acquiescit, ut in versiculis dimetris catalecticis, cum secundam quartam sextam syllabam acuere deberet, duas syllabas acuere non supersederet. Atque haec quidem licentia inde satis excusationis accipere videtur, quod veteres quoque poetae et musici non omnibus tribus locis vocem aeque erigebant; illud autem vereor, ne errore librariorum factum sit, quod versuum 2, 17, 23, 26 paenultima syllaba, longe illa gravissima, accentu caret. Similibus numerorum legibus poematis ultimo loco a nobis collocati, quod ne carmen quidem, sed λόγος πρὸς παρθένον παραινετικὸς inscriptum est, periodi illigatae sunt. Hoc autem poema, cum nec sententiarum luminibus nec elocutionis lepore commendetur, his duabus causis in hac anthologia edendum curavimus, quod numeri eius recte intellecti et viam muniunt ad byzantinorum poetarum artem simillimam explicandam et quae de celeberrimi mimorum scriptoris Siculi Sophronis arte grammatici memoriae prodiderunt, egregie illustrant. Namque scholion, quod Billius, qui melioribus, certe plenioribus, quam nos codicibus usus est, in sua editione Operum Gregorii huic carmini praefigit ‘ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ

τὸν Συρακούσιον μιμεῖται. οὗτος γὰρ μόνος ποιητῶν ῥυθμοῖς τε καὶ κώλοις ἐχρήσατο ποιητικῆς ἀναλογίας καταφρονήσας' ad Sophronem Syracusanum referendum esse collatis Suidae testimoniis de Sophronis mimis (ἔγραψε μίμους ἀνδρείους καὶ μίμους γυναικείους, εἰσὶ δὲ καταλογάδην) et Ioannis Damasceni canonibus pedestri oratione (καταλογάδην) conscriptis dudum a viris doctis intellectum est; conf. Bernhardy Grundriss der griech. Litt. II, 909. Sed quibus tandem numeris Gregorius, Sophronis imitator, in hac oratione exhortativa usus est? Ad hanc rem expediendam editio Billiana et codex Vind. V mutuum auxilium praebuerunt, quorum hic, qui inter pedestres orationes Gregorii hanc quoque rhythmicam orationem exaratam exhibet, cola sive membra orationis punctis interiectis distinxit, illa, cum cola neglegat, versus sive periodos separat, consentiens in hac re cum Cosma interprete, qui in commentariis supra commemoratis inter Γρηγορίου ἔμμετρα huius quoque orationis aliquot versus laudat; quo cum accedat sententia fere post alterum quodque colum finita, orationem ex versibus sive periodis binorum colorum compositam esse patet. Singulae autem periodi cum multae ex quindenis aut bis octonis syllabis constent, Lambeccius in Commentariis de bibliotheca Caesaria III, 181 de versibus tetrametris cogitavit, quibus paulo ante Gregorium etiam Methodium episcopum in carmine virginali usum esse infra dèmonstrabimus. At huic sententiae ne calculum adiiciamus, maior versuum pars obstaculo est, qui, cum bis septenis syllabis constent, tetrametris et catalecticis et acatalecticis breviores sunt. Nullo vero modo in metrici versus leges verba huius orationis cogi possunt, unde, si qua lege oratio vincta est, accentu, non quantitate syllabarum numeros regi statuas necesse est. Jam si accentibus ducibus rhythmum singulorum colorum et versuum definire coneris, non omnes versus iisdem numeris includi, sed alia cola iambicorum, alia dactylicorum, alia et longe plurima logaoedicorum versiculorum speciem imitari intellegas, quam quidem rem cum in omnibus periodis persequi longum sit, his paucis exemplis comprobare mihi visum est:

– ◡ – ◡ – ◡ – | ◡ – ◡ – ◡ – ◡ –

v. 41 ἔρως ὅλος πρὸς θεὸν γνησίως τεταμένος.
v. 62 μή που πλήξῃς ἢ πληγῇς ἐκ μώμου τοῦ Βελίου.

◡ – ◡ – ◡ – ◡ | ◡ – ◡ – ◡ – ◡ –

v. 48 Ἰούδας ἦν προδότης, οἱ δ' ἕνδεκα λαμπτῆρες.
v. 70 οὐ πάντες ἄνδρες τὴν σὴν ἁπλότητα χωροῦσι.

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – | ◡ – ◡ – ◡ – ◡

v. 3 ἵνα λαμπρὰ τῷ λαμπρῷ συζήσῃς τὸν αἰῶνα.
v. 22 ταύτην καὶ τότε καιροῖς ἐτίμων τοῖς εὐθέτοις.
v. 64 μὴ παρειὰ παρειαῖς διδότω παρρησίαν.

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ | – ◡ – ◡ ◡ – ◡

v. 88 Παῦλον πεινῶντα τὸν μέγαν καὶ ῥιγοῦντα προθύμως.

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ | – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪

v. 54 μᾶλλον αἰδοῦμαι μαργάρων καὶ τῆς Σηρῶν εὐκοσμίας.

– ∪ ∪ – ∪ – ∪ | ∪ – ∪ – ∪ – ∪

v. 20 γάμος συγγνώμη πάθους, ἁγνεία δὲ λαμπρότης.
v. 61 ὄψιν δ' ἀρρένων φεῦγε, εἰ θέμις, καὶ σωφρόνων.
v. 72 καὶ πονηρῶν ἐπάνω παγίδων διαβαίνεις.

– ∪ – ∪ ∪ – ∪ | ∪ – ∪ – ∪ – ∪

v. 17 ἵν' ἐκ πάλης καὶ νίκης τὸ στέφος ἀπολάβῃς.
v. 69 τί μοι σάρκα φυγοῦσα πρὸς σάρκας ἐπιστρέφεις;

– ∪ – ∪ – ∪ – | – ∪ – ∪ ∪ – ∪

v. 35 μήτε λίαν σε σαρκὸς ἐκφοβείτω ἡ φύσις.
v. 87 οἶδας Θέκλαν ἐκ πυρὸς καὶ θηρίων φυγοῦσαν.

∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ | – ∪ ∪ – ∪ – ∪

v. 9 οἱ πρῶτοι φέρους' ἀκτῖνα τῆς καθαρᾶς οὐσίας.

– ∪ ∪ – ∪ – ∪ | – ∪ – ∪ ∪ – ∪

v. 90 ὃς ἐν ἐρήμῳ τρέφειν οἶδε καὶ μυριάδας.

Haec si cui nugatoria et iusto argutiora esse videantur, eum rogatum velim, ut, priusquam severius iudicet omnemque mihi fidem deroget, quae de byzantinis melodis multifarias veterum metrorum formas accentibus simillimum in modum imitantibus infra disseruimus, legat atque examinet. Etenim quod in hac oratione Gregorii magis divinavimus quam probavimus, idem in byzantinis carminibus et iisdem formis rhythmicis in pluribus strophis redeuntibus et modulis musicis servatis plane confirmatum atque stabilitum est. Merito igitur Gregorium duobus extremis nostri delectus carminibus byzantinorum poetarum quasi signiferum exstitisse dixeris. Sophron autem mimographus, ut unde deflexit oratio redeat, aeque atque episcopus Nazianzenus, non certo metrorum orbe orationem contexuisse, sed varia cola, quae, cum mixtis pleraque pedibus constarent, rhythmos scholiasta dixit, ita commiscuisse videtur, ut soluta magis quam vincta oratione eius mimi conscripti esse viderentur.

Tertium locum in hac anthologia obtinet Naassenorum psalmus, quem Origenes in Philosophumenorum libri V cap. I servavit. Is tertio et quarto hymno Synesii simillimus est, ut Naassenorum Gnosticorumque psalmos Africano episcopo exemplo fuisse haud inmerito suspiceris. Namque Naassenorum quoque poeta cosmogoniam philosophorum commentis ornatam potius quam christianae institutionis simplicitatem referre maluit. Quid? quod simillimo quoque numerorum genere usus est? nam anapaesticos versus logaoedicos, quibus Synesii hymni VII, VIII, IX compositi sunt, hic quoque adhibitos videmus, ita tamen variatos, ut alii aliis longiores sint in hunc modum:

∪ ∪ – ∪ ∪ – | – – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ –

τὸ δὲ δεύτερον ἦν τοῦ πρωτοτόκου τὸ χυθὲν χάος.

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

ποτὲ μὲν βαcιλεῖαν ἔχουcα βλέπει τὸ φῶc.

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

λαβύρινθον ἐcῆλθε πλανωμένη.

Unius autem codicis, a Mina Graeco non ita pridem reperti, fide cum Originis liber, unde carmen excerpsimus, nitatur, licet multos in tam parvo carmine librarii errores Milleri, Patricii Cruicii, meis coniecturis removerimus, tamen versus septimum et octavum ne ita quidem perpolire nobis contigit, ut numeros restituere conaremur.

Praeter hunc, quem edidimus, psalmum multos Gnosticorum hymnos exstitisse Origenes eodem loco refert (ὕμνοι δὲ εἰc Ἀδάμαν γεγόναcι πολλοὶ καὶ ποικίλοι), quorum errores dulci Musarum melli conditi ne in animos hominum furtim sese insinuarent, cum christiani orthodoxi vererentur, minus carminum faciendorum arti studuisse et sacrae scripturae psalmis odisque solis favisse perhibentur. Atque e codice quidem Nazaraeo sive Adami libro octo gnostica carmina syrica lingua scripta in lucem protracta sunt. Praeterea hymni Ophitarum sex strophae, quas Origenes in libro contra Celsum VI, 31 servavit, e syrica lingua in graecam translatae esse probantur; in graecis enim verbis nec metricarum nec rhythmicarum legum vola aut vestigium indagari potest. Qua de causa ex hoc libro carminum graecorum eas secludendas duximus, praesertim cum sententiae ipsae non solum obscurae, sed etiam inficetae et portentuosae sint.

Ad aliud carminum genus parthenion pertinet, quod Methodius martyr, quem anno 312 pro fide christiana vitam profudisse novimus, dialogo cυμποcίου ἢ περὶ ἁγνείαc inseruit. In illo libro, quo christianus episcopus Platonis philosophi celeberrimum dialogum cognominem imitatus est, decem virgines inducuntur post laetum ac modicum convivium de laude inviolatae virginitatis disserentes et ad postremum assurgentes omnes, ut divino spiritu inflatae Christo tamquam optimo sponso suam vitam consecrent. Thecla igitur virgo, quae eloquentiae castaeque orationis palmam tulerat, carmen canere coepit, reliquae, quae a dextera et sinistra manu adstabant, post unam quamque stropham laetum ephymnium succinentes respondent (ὑπακούουcι). Sic quod canendi partes distribuunt, vetustissimum cantus responsorii morem sequuntur, quem iam a Therapeutis in Aegypto institutum fuisse Philo in libro περὶ βίου θεωρητικοῦ p. 901 ed. Paris. a. 1640 his verbis rettulit: καὶ ἔπειτα ὁ ἀναcτὰc ὕμνον ᾄδει πεποιημένον εἰc τὸν θεὸν ἢ καινὸν αὐτὸc πεποιηκὼc ἢ ἀρχαῖόν τινα τῶν πάλαι ποιητῶν· μέτρα γὰρ καὶ μέλη καταλελοίπαcι ποιηταὶ ἐπῶν, τριμέτρων, προcοδίων, ὕμνων, παραcπονδείων, παραβωμίων, cτacίμων, χορικῶν cτροφαῖc πολυcτρόφοιc εὖ διαμεμετρημένων· μεθ' ὃν καὶ οἱ ἄλλοι κατὰ τάξειc ἐν κόcμῳ προcήκοντι, πάντων κατὰ πολλὴν ἡcυχίαν ἀκροωμένων, πλὴν ὁπότε τὰ ἀκροτελεύτια καὶ ἐφύμνια ᾄδειν δέοι· τότε γὰρ ἐξηχοῦcι πάντεc τε καὶ πᾶcαι. Sed ut Philonis suspectam fidem vilipen-

damus, gravissimi scriptores Athanasius De fuga 24, 265 A, Chrysostomus Expos. in psalmum 41 t. V p. 131 B, Theodoretus Hist. eccl. II, 13 (vide Buhl 'Der Kirchengesang in der griechischen Kirche bis zur Zeit des Chrysostomos' in der Zeitschrift für histor. Theol. XVIII, 190. 198) eodem, quo Methodius utitur, nomine ὑπακοῆς versum a toto coetu congregatorum christianorum recitatum nuncupant et psalmo, quem solus praecentor cantabat, contrariam ponunt.

Parthenii titulum Methodii carmini indidimus, quod a virginibus cantabatur et eius auctor, quem veterum scriptorum splendida exempla suis libris aemulari solitum esse satis constat, in hoc quoque poemate Alcmanis et Pindari pervulgata παρθένια imitatus esse videtur. Nec non Theocriti et Catulli carminibus nuptialibus, quibus puerorum puellarumque chori permixti maritos domum prosequebantur, hoc carmen Methodii conferre iuvat. Quo enim pacto romanus poeta virgines, dum pineas taedas manu quatientes novam nuptam flammeo indutam comitantur, notum illud

Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee

succinentes facit, eodem modo christianae virgines, dum candida veste et lucidis facibus Christo sponso obviam eunt, exultantes itentidem exclamant:

Ἁγνεύω σοι καὶ λαμπάδας φαεσφόρους κρατοῦσα
νυμφίε, ὑπαντάνω σοι.

Constat autem hoc carmen Methodii viginti quatuor strophis ita in unum orbem coeuntibus, ut litterae initiales ἀκροστιχίδα κατ' ἀλφάβητον efficiant, quod idem artificium non solum creberrime in byzantinis poematis, sed etiam in Gregorii theologi carmine iambico (p. 186 ed. Colon. a. 1690) occurrit; neque dubium est, quin poetae christiani in hac re exemplum recentiorum hymnorum veteris Testamenti (conf. Ewald Die poetischen Bücher des alten Testamentes I, 140) secuti sint. Singulae autem strophae ex quatuor versibus longis et brevi clausula consistunt, quae licet Pitrae (Hymnogr. p. 40 'un mètre caché, qui échappe à notre curiosité') obscuro aliquo metro composita esse videantur, tamen aperte iambicum rhythmum produnt, modo Methodium normam veterum poetarum nonnihil migrasse teneas, ut non solum syllabam longam nusquam in duas breves solveret, sed etiam interdum brevibus syllabis longarum, nec non longis brevium vim tribueret. Sic literarum positionem in σὺν παιδί v. 141 neglexit, verbi μέλπουσαι v. 40 extremam syllabam contra veterum poetarum usum corripuit, vocabulorum ἐλᾱθόμην vv. 25, 26, ἀγάπη v. 33, σοφία v. 34, γοερῶς v. 44, φλεγομένη v. 69, πρόδρομος ἄνόμως v. 98, θεόνυμφε v. 115, θάνᾱτος v. 112, ἄφοβος v. 130 breves syllabas produxit; quae quidem licentiae eo magis nos offendunt, quod ne accentus quidem vi syllabae illae contra morem productae eriguntur. Praeterea nec versus nec clausulae pari omnes magnitudine sunt, hac in re inaequalitati versuum octavi Gregorii carminis non dissimiles. Quamquam enim fere versus septenarii iambici acatalectici quatuordenum syllabarum, versiculi tetrapodiae acatalecticae octonum syllabarum metrum

explent, tamen tam multi una vel etiam duabus syllabis partim longiores, partim breviores sunt, ut coniecturis omnes discrepantias removere veriti simus. Denique caesuram, qua versus longiores in duo membra discinduntur, non eodem loco ubique factam videmus; modo enim post octavam, modo post nonam syllabam versus poeta tam temere incidit, ut stropharum nulla aequabilitas compareat; quo cum accedat numerorum caesura incisionibus sententiarum parum adiuta, divisionem versuum rectis lineis significare inutile esse iudicavimus. Aegerrime autem tulimus, quod in difficillimo carmine recognoscendo nec ipsi codicum subsidia comparare potuimus neque A. Iahnii, qui Methodii opera Halis Saxonum a. MDCCCLXV edidit et adnotavit, opera magnopere adiuti sumus.

Hymnum, qui Methodii parthenion in hac anthologia sequitur, Clementis Alexandrini inscripsi, quamvis non ignorarem fuisse qui celeberrimum ecclesiae christianae doctorem huius hymni auctorem esse negarent. Sed in re incerta, ne maiores etiam turbae moverentur, dubii quam nullius auctoris nomen praefigere malui. Illud enim non potest dubitari, quin hymnus libri Clementis de educatione (Παιδαγωγός), cuius in calce exaratus legitur, integra pars non fuerit; libro enim iusta peroratione iam finito hymnus tamquam alter epilogus adhaeret. Hoc autem tuo iure possis ambigere, utrum eum a Clemente primum seorsim editum et postea libro Paedagogi adiectum, an ab interpolatore aliquo recentiore et factum et Clementi suppositum esse statuas. Sed utut res sese habet, hymnus inter antiquissima et celeberrima monumenta poesis christianae merito numeratur. Quod autem raro nobis in longo labore contigit, ut viam ab aliis patefactam et munitam sequi nobis liceret, id in hoc carmine opera A. Thierfelderi factum est, qui subtili dissertatione nuper de christianorum psalmis et hymnis commentatus est. Atque hoc quidem vir doctissimus mihi plane persuasit, binos monometros anapaesticos huius carminis vel repugnantibus codicibus in singula cola dimetra coniungendos esse, siquidem versibus paroemiacis, qui codicum consensu tribus locis (vv. 10, 13, 25) comprobantur, inter monometros nullus locus est. Cum autem non solum post singulos monometros nusquam non verbum finiatur, sed etiam hiatus et syllabae ancipitis licentia crebro (14, 15, 16, 26, 28) medio in dimetro admissa sit, interiecta lineola significavimus, non tam arcte, quam in veteribus carminibus graecis et latinis factum novimus, pedes huius hymni coaluisse. Minus iam illud mihi probatur, quod audacissimis coniecturis, modo eiiciendo modo transponendo verba, strophicam compositionem, quam vel limatissimi poetae scaenici in anapaesticis systematis fere spreverant, huic hymno restituere conatus est. Plane vero de recta via aberrasse mihi videtur, quod quatuor primos versiculos tamquam alter Procrustes usque adeo torquebat atque vexabat, donec anapaesticae tripodiae formam induerent. Namque cum ab tormentorum iniuria veteres scriptores omnes defendere consuessem, tum tripodiae anapaesticae forma adeo suspecta est, ut recentiori poetae, qualis Clemens fuit vel quisquis hymnum

fecit, coniecturis reddi non debeat. Neque tamen magis Cobeti sententiae adstipulor, qui in Λογίῳ Ἑρμῇ I, 494 resectis ultimis cuiusque versiculi verbis volgares monometri anapaestici formas restituit. Equidem haec quatuor cola, cum et obscurissima esse et iis sententiam quinto versu comprehensam inficete dilatari cognossem, ab recentiore aliquo interpolatore, mysticarum nugarum illo studiosiore quam tersae orationis, adiecta esse duxi; quod quo tempore factum sit, inde aliqua ex parte definiri potest, quod iis numerorum legibus, quae apud byzantinos melodos solae valebant, adstrictae sunt. Ne plura, qui anapaestici metrici versiculi viris doctis visi sunt, mihi dimetri iambici rhythmici octonum syllabarum esse videntur hoc modo ordinandi:

. : . ⁞ . : . ⁞ = ⏑ – ⏑ ⏓ ⏑ – ⏑ ⏓

στομίον πώλων ἀδαῶν,
πτερὸν ὀρνίθων ἀπλανῶν,
οἴαξ νηπίων ἀτρεκὴς,
ποιμὴν ἀρνῶν βασιλικῶν.

Resectis primis quatuor colis, quatuor, quae in codicibus illa sequuntur, suo loco mota post vicesimum primum ita collocavi, ut hymnus, id quod commode fieri nemo, si dis placet, infitias ibit, a Βασιλεῦ ἁγίων, λόγε πανδαμάτωρ initium capiat.

Agmen carminum prioris partis anthologiae ὕμνοι ἀδέσποτοι claudunt, qui cum vere ecclesiastici dicantur, memoriam carminum sacrorum ecclesiae christianae altius hoc loco repetere mihi visum est. Atque primum quidem Paulus apostolus in epist. ad Ephes. V, 18 (καὶ μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστὶν ἀσωτία, ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ κυρίῳ) et epist. ad Cor. III, 16 (ἐν πάσῃ σοφίᾳ διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτοὺς ψαλμοῖς ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, ἐν χάριτι ᾄδοντες ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν τῷ θεῷ) christianos iam antiquissimis temporibus psalmis et hymnis et odis spiritualibus deum celebrasse memoriae prodidit, sed quae ille carmina intellexerit et quid discriminis inter tria, quae commemorat, genera carminum intercesserit, diu multumque a viris doctis disceptatum est. Verba quidem ipsa si spectaveris, nihil sane impedit, quominus nova carmina a vatibus christianis facta iam tum exstitisse et quotidiano usu celebrata esse existimes. Neque enim inepte verba ᾠδὰς πνευματικὰς de christianis carminibus ita interpreteris, ut ψαλμοὺς vel ψαλμοὺς καὶ ὕμνους ad veteres Davidis psalmos referas. At permirum esset, si sacrorum illorum carminum, ipsa vetustate quasi sacratorum, nihil ad posteros propagatum esset. An christianos memoriam rerum ab apostolis gestarum religiose servandam curasse, carmina antiquissimis temporibus celebrata et ipsa modorum suavitate facilius hominum animis inhaerentia aboleri oblivioneve obrui sivisse putabimus? Qua de causa cum de talibus carminibus nihil relatum, nedum integrum servatum sit, omnia tria nomina ad carmina sacra, quae christiani ab Iudaeorum synagogis una cum musicis modis assumpserant, referenda esse iudico.

Atque psalmos Davidis duplici nomine ψαλμῶν καὶ ὕμνων significatos sentio, quod et psalli solebant et laudes dei optimi maximi continebant, reliqua autem carmina veteris Testamenti, velut cantica Mosis et Annae et trium puerorum, apud posteros quoque scriptores odae audiunt (vide meam dissertationem de hirmo tropario canone in Beiträge zur kirchlichen Literatur der Byzantiner S. 11) et ᾠδαὶ πνευματικαὶ a Paulo apostolo cognominatae esse videntur, quo severam gravitatem eorum a ludicris nugis scoliorum graecorum distingueret. Huic vero rei fidem maxime psalterium christianum antiquissimum facit, quod in codice Alexandrino versionis graecae veteris Testamenti servatum esse constat. Etenim in hoc psalterio, quod canticorum librum lingua latina, nostra Gesangbuch interpretamur, Davidis psalmis quatuordecim odae, ex sacris libris veteris ac novi Testamenti excerptae, subiectae sunt, de quibus, cum ad byzantini canonis vim et significationem enucleandam pervenero, explicatius agam. Itaque usque ad quintum saeculum, quo codicem Alexandrinum exaratum esse palaeographicae rationes convincunt, christiani in suis coetibus fere iisdem cantibus, quibus Iudaei in suis synagogis, usi esse probantur. Primas autem, ut par erat, partes praeclaris et paene divinis psalmis Davidis assignabant*), qui inde ab illis temporibus insignem inter carmina ecclesiastica cum apud omnes christianos, tum apud Graecos locum obtinent; reliquis ex carminibus veteris Testamenti ea potissimum, quae ad Christum salvatorem futurum referri posse viderentur, selegebant (conf. Buhl l. l. p. 203) nec non ex novo Testamento Mariae post nuntium a Gabriele acceptum laetissimas voces (Luc. I, 46—55) et Zachariae vaticinia (Luc. I, 68—79) Symeonisque senis hymnum (Luc. II, 29—32) adiiciebant.

Verum enim vero praeter haec sacra carmina, in communem omnium christianorum usum recepta, noviciis quoque carminibus Christi ipsius laudes iam temporibus imperatoris Traiani celebratas fuisse veri simile est. Nam notissimus locus Plinii Secundi de christianorum institutis in epist. X, 96 'adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo deo dicere**) secum invicem' ad illa, quae modo recensui, carmina sacra vix, ac ne vix

*) Vide Constitutiones apostolicas II, 57: Μέσος δὲ ὁ ἀναγνώστης ἐφ' ὑψηλοῦ τινὸς ἑστὼς ἀναγινωσκέτω τὰ Μωσέως καὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυὴ, τὰ τῶν κριτῶν καὶ τῶν βασιλείων, τὰ τῶν παραλειπομένων καὶ τὰ τῆς ἐπανόδου, πρὸς τούτοις τὰ τοῦ Ἰὼβ καὶ τὰ Σολομῶντος καὶ τὰ τῶν δεκαὲξ προφητῶν· ἀνὰ δύο λεγομένων ἀναγνωσμάτων ἕτερός τις τοῦ Δαβὶδ ψαλλέτω ὕμνους καὶ ὁ λαὸς τὰ ἀκροστίχια ὑποψαλλέτω, confer Hippolyti can. XXI nuper ab Hanebergio editum et Theodoreti hist. eccl. II, 24.

**) Huic sententiae illud favere videtur, quod Plinius dixisse carmen christianos, non cantasse dicit; at ne plus, quam par est, verbo dicendi tribuas, Horatium constat duobus locis (Od. III, 4, 1 'Dic, age, tibia longum Calliope melos' et Od. IV, 12, 9 'Dicunt in tenero gramine pinguium custodes ovium carmina fistula') dicendi verbo non de formulis quibusdam, sed de iustis carminibus usum esse.

quidem referri potest; unde concludas si non omnes, at tamen Bithynos christianos novo quodam carmine Christum deum celebrasse, nisi vero carmen formulas exclamationesque, veluti Κύριε ἐλέησον et Εὐλογεῖτε τὸν κύριον, recitatas potius quam cantatas, intellegemus, aut Plinium falso vel parum accurate de rebus christianis rettulisse putabimus. Sed Plinii testimonio alia accedunt minus suspecta. Doctissimus enim pater ecclesiae, Origenes in libro contra Celsum VIII, 67 christianos orthodoxos hac re ab haereticis differre monuit, quod nisi in deum patrem eiusque filium unigenitum hymnos non dicerent (ὕμνους γὰρ εἰς μόνον τὸν ἐν πᾶσι λέγομεν θεὸν καὶ τὸν μονογενῆ αὐτοῦ). Et quod Eusebius hist. eccl. V, 30, 10 Firmilianum Cappadocem tertio saeculo psalmos in Iesum Christum factos abolendos, eorumque loco alios, quibus ipsius praeconium contineretur, hymnos in ecclesiis cantandos curasse dicit, Origenis testimonium per ambages confirmat. Denique idem Eusebius V, 32, 5 ad doctrinae christianae fidem defendendam utitur testimonio psalmorum, ὅσοι ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πασῶν γραφεῖσαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες.

Inprimis autem haeretici hymnos pangendi canendique artem alebant, inter quos cum aliorum tum Nepotis episcopi Aegypti (conf. Euseb. hist. eccl. VII, 24, 4: ἀποδέχομαι καὶ ἀγαπῶ Νέπωτα . . . καὶ τῆς πολλῆς ψαλμῳδίας, ᾗ μέχρι νῦν πολλοὶ τῶν ἀδελφῶν ἐνθυμοῦνται) Ariani (conf. Socratem I, 9 Photium in Philostorg. exc. II, 2) Bardesanis (conf. Theodoreti hist. eccl. IV, 29 Sozomeni hist. eccl. VI, 25 et inprimis Aug. Hahnii librum de Bardesane Gnostico Syrorum primo hymnologo) Apollinaris (conf. Sozomeni hist. eccl. VI, 25) carmina pervulgata fuisse perhibentur. Huc Naassenorum quoque psalmus, in hac anthologia p. 32 editus, pertinet, de quo paulo ante fusius commentatus sum. Sed haec ipsa erat causa, cur orthodoxae ecclesiae antistites inde a medio tertio saeculo, ne errorum labes modorum suavitate commendata latius serperet, novicios hymnos exstirpandos, veteres psalmos Davidis et cantica ex libris sacris excerpta unice probanda esse censerent. Insigne huius rei documentum concilii Laodicensis canon LIX praebet, quo patres congregati caverunt, ne idiotici psalmi, quos nescio an novicios christianos eodem iure quo subditicios Salomonis intellegas, in ecclesia recitarentur, quo cum decreto admonitiones singulorum episcoporum scriptorumque a Buhlio l. l. p. 197 sq. collectae plane conspirant.

Quae cum ita essent, hymni, quibus laudes domini nostri canerentur christianaeque doctrinae mysteria enarrarentur, conscribi cantarique paulatim desierunt. Preces tantum matutinae, vespertinae, cenatoriae, numeris illae quidem liberioribus compositae neque tamen psalmorum gravitati atque sublimitati conferendae, in usu quotidiano permanserunt. Partem earum librarius aliquis Constitutionum apostolicarum libro septimo pridem subiecit, unde eas aliis quibusdam auctas in hoc libro repetendas curavimus.

Atque primo quidem loco praeclarum hymnum matutinum collocavimus, quem a primo vocabulo δοξολογίαν nuncupant et etiamnunc in celeberrimis

ecclesiae canticis numerant. Is quo in honore iam antiquissimis temporibus fuerit, inde intellegere possis, quod vetustissimo psalterio christianorum, quod codice Alexandrino versionis graecae veteris Testamenti servatum esse supra monuimus, insertus legitur. Illius enim psalterii cum longe amplissimam partem Davidis psalmi efficiant, et tredecim odae, quae corrolarii instar psalmis Davidis adiectae sunt, aut ex vetere novoque Testamento petita sint aut iam Alexandrina, quam dicunt, aetate locis quibusdam veteris Testamenti adsutae esse videantur (ᾠδ. ζ′ η′ θ′), ex noviciis carminibus unus hic hymnus matutinus sive angelicus dignus existimatus est, qui sacris illis odis ultimo loco adiiceretur. Atque insignem hunc locum meruisse videtur, quod et sententiis dictisque sacris magna ex parte contextus est et veneranda quadam vetustate commendatur. Antiquior vero eius pars quatuordecim primos versus complectitur, quos quarto saeculo Hilarius Pictaviensis latine vertisse fertur (conf. Daniel Thesauri hymnologici t. II p. 270). Graecam autem eius originem cum alia tum hoc comprobat, quod in latinis membranis iuxta latinam versionem graeca verba exarata inveniuntur, quarum membranarum Tegernseenses (T) ipsi excussimus, Vindobonenses Daniel Thes. hymn. II, 272 descripsit.

Hymnum angelicum in septimo libro Constitutionum apostolicarum hymnus vespertinus et preces cenatoriae excipiunt. Ille ex duabus partibus constat, quarum prior voce ἀμὴν concluditur et ab altera separatur; haec altera pars Symeonis senis Iesum infantem suis brachiis tenentis verba (Luc. II, 29—32) continet, eademque inter quatuordecim odas psalterii codicis Alexandrini recepta est. Usque ad quintum igitur saeculum ipsa verba sacrae scripturae recitari solebant, quibus aevo byzantino novicia carmina addebantur, quae a primis verbis Νῦν ἀπολύεις nomen Ἀπολυτικίων nancta sunt.

Quamquam autem hic, de quo agimus, hymnus vespertinus inter vetustissima carmina christianae ecclesiae in Constitutionibus apostolicis receptus legitur, maiore tamen fama alius hymnus Φῶς ἱλαρόν celebrabatur, quem Byzantini inter officia vespertina (ἀκολουθίαν τοῦ ἑσπερινοῦ) receperunt et ipsi in libro Ὡρολογίου saeculo XII exaratum invenimus. Eum num auctor Constit. apost. VIII, 34 ‘μετὰ δὲ ῥηθῆναι τὸν ἐπιλύχνιον ψαλμὸν προσφωνήσει ὁ διάκονος ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων’ in animo habuerit, admodum dubium est, quandoquidem et brevior tenuiorque, quam qui psalmi titulo insigniatur, esse videtur, et Davidis psalmorum alios, qui vespere, alios, qui mane canerentur, constitutos fuisse novimus; conf. Const. apost. VIII, 37 ὡσαύτως ὄρθρου ὁ διάκονος μετὰ τὸ ῥηθῆναι τὸν ὀρθρινὸν καὶ ἀπολῦσαι αὐτὸν τοὺς κατηχουμένους. Contra certum est a Basilio De spir. sancto c. 29 hunc hymnum ἐπιλύχνιον εὐχαριστίαν nuncupatum esse, quem locum plene hic exscribere iuvat: ἔδοξε τοῖς πατράσι ἡμῶν μὴ σιωπῇ τὴν χάριν τοῦ ἑσπερινοῦ φωτὸς δέχεσθαι, ἀλλ’ εὐθὺς φανέντος εὐχαριστεῖν· καὶ ὅστις μὲν ὁ πατὴρ τῶν ῥημάτων ἐκείνων τῆς ἐπιλυχνίου εὐχαριστίας, εἰπεῖν οὐκ ἔχομεν· ὁ μέντοι λαὸς

ἀρχαίαν ἀφίηςι τὴν φωνὴν καὶ οὐδενὶ πώποτε ἀςεβεῖν ἐνομίςθηςαν οἱ λέγοντες· Αἰνοῦμεν πατέρα υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα θεοῦ. εἰ δέ τις καὶ τὸν ὕμνον τοῦ Ἀθηνογένους ἔγνω, ὃν ὑπέρ τι ἄλλο ἐξιτήριον τοῖς cυνοῦcιν αὐτῷ καταλέλοιπεν ὁρμῶν ἤδη τὴν πρὸς τοῦ πυρὸς τελείωcιν, οἶδε καὶ τὴν τῶν μαρτύρων γνώμην, ὅπως εἶχον καὶ περὶ τοῦ πνεύματος. Hoc testimonio multi ita abusi sunt, ut Athenogenem martyrem hymnum Φῶς ἱλαρὸν panxisse dicerent. At paulo attentius Basilii verba perlegentem non fugiet, Athenogenem alius hymni auctorem significari, in quo et ipso spiritus sancti mentio facta esset.

Restat, ut quo iure haec quatuor scripta inter carmina receperim, defendam atque exponam. Numeris enim illa soluta nec cantorum modis aptata fuisse facile aliquis dixerit, quod nec certis usitatisque metrorum legibus illigata sunt et primum atque ultimum in codicibus Const. apost. προcευχαὶ non ᾠδαὶ inscribuntur, qua de re conferas, sodes, apparatum criticum editionis Lagardianae. Quid? quod preces cenatoriae non solum εὐχὴ, sed εὐχὴ λεγομένη ἐπ' ἀρίcτῳ in codicibus dicuntur? Nihilo tamen secius has quatuor preces non solum recitatas, sed etiam cantatas fuisse, si quid aliud, certum atque exploratum est. Namque ut modulationes doxologiae et hymni epilychnii celeberrimas et antiquissimas (vide Πίνακα τῶν μελῶν in fine libri) omittam, doxologia in codice Alexandrino titulum ὕμνου ἑωθινοῦ prae se fert et in psalterium sive canticorum librum recepta est. Difficilior altera quaestio ad discernendum est, quo numerorum genere hi quatuor hymni inclusi esse videantur. Nam cum modulationes eorum protractae in latos circuitus exspatientur nec verba ipsa presse sequantur, iure tuo suspicari possis, numerorum legibus modulationes illigatas, solutam orationem fuisse. Neque Thierfelderum, cum in libro De christianorum psalmis p. 33 carminis Φῶς ἱλαρὸν metrica cola syllabarumque quantitate definita restitueret, operam et oleum perdidisse nego. Ne tamen omni numerorum genere quatuor hymnos solutos fuisse iudicemus, iam illud prohibet, quod hymnus epilychnius in Horologio et doxologia in cod. Alexandrino cτιχηδὸν exarata sunt. Namque cτίχοι illi sive versus, quos in nostra quoque editione exprimendos curavimus, et numerose clauduntur et similis psalmorum divisionis commonent. Singula autem cola eorum hoc quoque nomine Davidis psalmis similia sunt, quod non certis pedum rhythmorumque regulis, ut cetera fere carmina graeca, illigata sunt. Sunt tamen aliquot particulae, inprimis clausulae, quarum numeros, accentibus syllabarum expressos, modo monitus sis, non possis non agnoscere. En perspicua quaedam exempla, quae ita proponere placet, ut numeros notis metricis expressos adiiciam:

καὶ εἰc τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνοc.	– ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪
cὺ εἶ μόνοc ἅγιοc,	– ∪ – ∪ – ∪ –
cὺ εἶ μόνοc κύριοc.	– ∪ – ∪ – ∪ –
αἰνεῖτε, παῖδεc, κύριον.	∪ – ∪ – ∪ – ∪ –
ὑμνοῦμεν πατέρα υἱὸν	∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ –
καὶ ἅγιον πνεῦμα θεόν.	∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ –

τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ _ ◡ _ ◡ _ ◡ _
καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι. ◡ _ ◡ _ ◡ _ ◡ _

DE CARMINIBUS BYZANTINIS.

Quatuor hymni, de quibus extremo loco disputavi, cum relictis veterum graecorum carminum legibus aliam normam sequantur, transitum nobis parant ad carmina ecclesiastica byzantina, quorum delectum in altera parte anthologiae proposuimus. Byzantina ea nuncupavimus, quod intra fines byzantini imperii medio aevo orta sunt; ipsa urbs Byzantium sive Constantinopolis nec plurimos nec fertilissimos melodos tulit; immo tresviri, quibus palmam in hoc genere literarum detulerunt, Cosmas, Ioannes, Theophanes Hierosolymitani fuisse feruntur, quod cum auctoritate, qua sacra sedes et inprimis S. Sabbae monasterium floreret, cohaerere videtur. Nam ritus quoque, quales in coenobio S. Sabbae exculti erant, inde a septimo saeculo paulatim per omnes ecclesias graecas diffundebantur (conf. Leontem Allatium De libris ecclesiasticis graecis p. 6 ed. Paris. a. MDCXLV) et celeberrimi melodi Ioannes et Cosmas magnam vitae partem in illo coenobio egerunt. Inter reliquas imperii byzantini partes Sicilia eminuit, qua in insula, priusquam Arabum ditionis facta est, multi et clari poetae velut Methodius Syracusanus, Georgius Siceliota, Constantinus Siculus octavo et nono saeculo floruerunt. Quid? quod Cosmam maiorem, quo Ioannes Damascenus et Cosmas Maiumensis magistro usi sunt, in Sicilia ortum et a piratis Damascum perductum esse ferunt? Denique etiam extra fines imperii byzantini in Italia prope Romam urbem monachi exules coenobii S. Nili sacrae poesi studebant, quorum melodorum S. Bartholomaeus, qui duodecimo saeculo florebat, facile princeps exstitit, alii, ut Clemens, Arsenius, Germanus, Ioannes, Iosephus, Paulus, Sophronius cognomines summis melodis byzantinis nominantur (conf. Pitra Hymnogr. p. 18 et 62); neque tamen ulla eorum carmina parietes monasterii Grottaferratae egressa sunt, unde ea cum neque in Menaea neque in Triodium graecae ecclesiae recepta essent, ex hac quoque anthologia excludenda duximus.

Homines autem byzantini quam tenuis et pusilli animi fuerint, inde maxime intellegitur, quod omnis fere eorum poesis intra angustos ecclesiastici carminis fines inclusa continebatur. Cum enim monachi et episcopi tam apud reges quam apud populum plurimum valerent et animi hominum spinosis theologiae quaestionibus adeo capti tenerentur, ut altius spirare et praeclara consilia moliri non auderent, turpissima ingeniorum sterilitas et nugatoria quaedam garrulitas cum in aliis literarum generibus tum in poeticis studiis nata est. Haec quam late patuerint, ut intellegas, aequalem poesim gentium occidentalis Europae conferre iuvat. Quamquam enim ne illic quidem barbari et rudes homines mentis caliginem plane depellere valebant, tamen inexhausta vis Germanarum gentium, tamquam felix sarculum

effetae arbori insitum, laetos carminum foetus peperit; neque solum epicis carminibus speciosa heroicarum fabularum miracula pandebant, sed etiam lyricos carminum ecclesiasticorum modulos lusibus profanis et rerum gestarum laudibus accommodabant. Tam laetae fecunditatis ingenii et mutui sacrarum profanarumque literarum commercii vestigia frustra apud Byzantinos quaesiveris; neque enim ipsi, qua erant animi humilitate viriumque imbecillitate, praeclaras res naviter gesserunt, et parvas amplificandi et prodigiose augendi iuvenili ardore carebant; amare vero et ludere, excandescere et commiserari, denique naturalibus animi affectibus commoveri prorsus desiisse videntur. Quo factum est, ut in epica, iambica, ludicra poesi aut nihil procrearent aut nihil, quod occidentalium gentium musae conferri posset, elaborarent. An Tzetzae Psellique garrulas nugas vel etiam Georgii Pisidae calamistros cum Nibelungorum nervis et lacertis aut Anacreonteorum tornatos cincinnos cum Waltheri nostri suco atque simplicitate componere audebimus?

Haec cum ita sint, ecclesiastica carmina fere sola fuerunt, in quibus pangendis homines Byzantini operam collocabant nec mediocrem laudem consecuti sunt; quae quamvis et ipsa labem frigidae subtilitatis et aridi torporis traxerint, tamen magis, quam par erat, a viris doctis adhuc neglecta iacebant. Nobis autem eo digniora sunt, quae cognoscamus et pervestigemus, quod ad poesim cantumque ecclesiasticum occidentalium populorum promovendum plurimum valuerunt. Huius rei documenta ipsa nomina sunt carminum ab graeco fonte derivata; veluti antiphonae et tropi Francorum (vide Beiträge S. 18 f.) ab antiphonis et tropariis Graecorum originem duxerunt, et sequentiarum latinum nomen a graeco ἀκολουθίας translatum esse apparet, licet genuinam graeci vocabuli significationem Franci Germanique paululum detorserint. Etiam apertiora graecae originis indicia musica ars latinae ecclesiae praebet; neque enim solum octo toni occidentalium gentium et ὀκτὼ ἤχοι Graecorum sibi invicem respondent, sed etiam nomina authentici et plagii toni graecae originationis notam servarunt. Denique non desunt diserta testimonia scriptorum latina carmina ecclesiastica a graecis promota testantium. Sic Monachus Sangallensis in Gestorum Karoli libro secundo (Monumenta germ. historiae II, 751) haec memoriae prodidit: 'Cum igitur Graeci . . . . secreto in sua lingua deo psallerent et ille occultatus in proximo carminum dulcedine delectaretur, praecepit clericis suis, ut nihil ante gustarent, quam easdem antiphonas in latinum conversas ipsi praesentarent. Item Cyprianus S. Caesarium Arelatensem refert adiecisse et compulisse, ut laicorum popularitas psalmos et hymnos pararet altaque et modulata voce instar clericorum alii graece, alii latine prosas antiphonasque cantarent (vide Gerbert De musica sacra I, 340). Hoc autem cum testimonio conferas Ekkehardum (Casus S. Galli in Monum. Germ. hist. II, 125) narrantem Hadvigam ducissam latinam antiphonam 'Maria et flumina' sic graece vertisse: 'θάλασσαι καὶ ποταμοὶ εὐλογεῖτε τὸν κύριον· ὑμνεῖτε πηγῶν

τὸν κύριον· ἀλληλούϊα.' Denique non parva farrago graecorum verborum in carmina et liturgiam ecclesiae latinae irrepsit, quorum nonnullis, ut κύριε ἐλέησον, etiamnunc utimur.

Haec praefati iam ad genera carminum byzantinorum explicanda et vitas singulorum poetarum enarrandas transeamus. Atque formam quidem carminum si spectaveris, duo in genera ea discedunt, quorum altera versibus usitatis et quantitate syllabarum definitis composita sunt, altera novas leges accentuum et numeri syllabarum sequuntur; quod discrimen ut brevi significem, priora metrica, rhythmica posteriora appellabo. Metrica igitur carmina ut antiquis temporibus, quibus productas et correptas syllabas vulgo distinguebant, aptissima erant, ita medio aevo artificiosam quandam speciem affectabant. Etenim iam in primis post Christum natum saeculis adeo accentus quantitati syllabarum praevalere coeperat, ut haud raro scriptores quantitatem neglegerent syllabasque acutas cum longis commutarent. Huius rei permulta et manifesta testimonia in titulis lapideis aeneisque exstant, in quibus literae Ο et Ω sexcenties inter se commutatae inveniuntur. Idem crebri errores testantur, quos poetae recentiores syllabas breves pro longis et longas pro brevibus usurpantes commiserunt; qua de re vide indicem errorum Methodii supra p. XIX confectum et adde Synesii III, 10 θύμ' ἀναίμακτον, 39 τὸν ἀπόστρῡφον, 109 ἐπὶ βαλβῖδας, Gregorii I, 3 δεσπότην, Clementis v. 13 παίδων ἀνεπάφων. Nostra vero memoria Graeci ita accentibus nihil non tribuunt, ut et ipsi in Sophoclis Aristophanisque versibus recitandis metricam compagem solvere soleant et nos accentus syllabarum neglegentes aut minus observantes graece loqui negent.

Metricae igitur odae byzantinae, cum vetera carmina artificiosa potius subtilitate imitarentur quam hominum aequalium sermonem exprimerent, neque in ecclesiis umquam cantatae neque in libros canticorum canonicos receptae sunt. Cantatas tamen eas esse ne infitias eas, modulationis tonus (ἦχος) carminibus Eliae Syncelli et Photii patriarchae adscriptus prohibet. Quae autem ad canendum destinata erant carmina, iisdem, quibus scriptores Anacreonteorum veteres delectabantur, versiculis constant, dimetris dico iambicis vel ionicis anaclomenis; quamquam hoc nomine severiori legi illigata sunt, quod quina aut sena cola singulas periodos stropharum efficiunt. Hoc ut nemo non comprobabit in carminibus ad cantandum factis, ita inutili et inficeto lusu eae literae in initiis stropharum positae sunt, quae ordinem viginti quatuor literarum alphabeti reddant. Cumulum vero his artificiosis nugis Syncellus addidit, qui non solum stropharum, sed omnium eiusdem strophae versiculorum initia acrostichidis angustiis coercuit. Praeterea in plerisque carminibus Anacreonticis poetarum byzantinorum dimetris versiculis post tertiam vel quartam quamque stropham duo longiores versus interiecti sunt, quos, ut a strophis sive οἴκοις distinguerent, κουκούλια appellabant (conf. G. Hermannum Elem. doct. metr. 487 sq.). Atque plerique eo modo compositi sunt, ut versuum Asclepiadeorum exemplum sequi videantur:

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – | – ∪ ∪ – –

Ρίζα φιλευσεβέων | ἔπλεο, Παῦλε,
ἐν χθονὶ τετραπόρῳ | γείναο μόχους.

Sed cum choriambici pedes iambicis et ionicis minus facile admisceantur, trimetros ionicos, quales in altero Sophronii carmine leguntur,

Ἱεραὶ παρθενικαὶ, παστάδα Θέκλης
στεφάνοις ἀθανάτοις στέψατε νύμφης.

priscam et genuinam horum versuum formam fuisse crediderim, quorum in locum choriambicos illos fere supponebant. Utraque autem versus forma non modo pari duodevicenum morarum temporis spatio sed etiam similibus accentibus coniuncta erat, modo caesurae indicia secutus hos ictus primarios utrique versui adsignaveris:

∪ ∪ – ± ∪ ∪ – | – ∪ ∪ ± –
– ∪ ∪ ± ∪ ∪ – | – ∪ ∪ ± –

Scriptores Anacreonteorum christianorum in cod. Barberino n. 246 saec. XI vel XII, qui byzantina Anacreontea in unum corpus coniuncta continet, nominantur hi: Sophronius Hierosolymitanus, Elias Syncellus, Ignatius, Arethas, imperator Leo; vide Matrangam in Maii Spicil. Rom. IV p. XXXVI sqq. Equidem quatuor tantum carmina, tria Sophronii, unum Eliae, recepi, ut ne huius quidem carminum generis exempla in hac anthologia plane desiderarentur. Etiamsi enim Leo Allatius Sophronii carmina elegantissima, piissima, melitissima praedicaverit et nostra memoria Matranga doctissimo signifero succinuerit, tamen non digna mihi esse videbantur, quae omnia in hoc libro typis repeterentur. Plura qui desiderabit, adeat, quaeso, Maii Spicil. Rom. tom. IV, Matrangae Anecdot. tom. II, Danielis Thes. hymnol. vol. tertium. Selegi autem praeter bella praeconia Pauli apostoli et Theclae martyris memorabile carmen de locis venerandis sacrae urbis Hierosolymorum, quo recuso et emendato viris doctis, qui archaelogiae christianae tam egregi operam nostra memoria impendunt, me gratum acceptumque fecisse spero. Sophronius enim hoc carmine pium, quo flagrabat, desiderium sacra loca adeundi ita persecutus est, ut urbis Hierosolymorum eiusque aedificiorum, qualia septimo saeculo erant, lineamenta adumbraret, quae cum ipsa satis notabilia sint, tum in tanta veterum testimoniorum penuria plurimum lucis ad difficillimas de topographia Hierosolymitana quaestiones expediendas afferunt; conf. Messmer Mittheilungen der k. k. Centralcommission a. 1867 p. LXVII, Tobler Golgatha p. 344, Bock Die Kirche der Benediktinerabtei Petershausen, s. f. Inprimis vero memoratu digna sunt, quae poeta in tertia stropha de sacro cubo ante scalas, quibus in sepulcrum Christi descendebant, collocato rettulit. Cum autem Matranga locum gravissimum et corruptelis foedatum et lacuna haustum edidisset, ipsi Flaschium, doctum iuvenem tum Romae commorantem, quem disciplinae Monacensis gratam memoriam servare noveramus, per litteras rogavimus, ut codicem denuo excuteret

et num qui apices in loco lacunoso dispici possent, religiose quaereret. Sed haec spes me plane fefellit; ille enim mihi rescripsit versiculi quarti decimi praeter quinque literas τετρα nihil non modo apparere, sed ne scriptum quidem ab librario fuisse. *) Inde ad Messmeri collegae amicissimi doctrinam atque humanitatem confugi, qui κύβον ἱερὸν lapidem illum intellegendum esse intellexit, qui, cum olim monumentum, in quo corpus domini nostri positum erat, clausisset, postea ante illud monumentum arae instar collocatus esse narratur; tales autem arae cum quatuor columnis cingi et tholo, cui ciborio nomen erat, tegi solitae essent, Sophronium divinavimus scripsisse: ἱερὸν κύβον κατίδω μέγαν οὐρανοστεγόν τε τέτρασιν φρακτόν τε στήλαις.

Sophronii et Eliae carminibus metricis Leontis regis ᾠδάριον κατανυκτικὸν et Photii patriarchae ὕμνον ἐκ προσώπου Βασιλείου δεσπότου subiunxi, quae carmina Anacreonteorum, quibus in cod. Barberino consociata sunt, formam accentibus syllabarum imitantur; tantum autem aberat, ut omnes pedes horum carminum auctores accentibus exprimerent, ut in paenultima syllaba nusquam non acuenda acquiescerent, quod similiter Gregorium Nazianzenum in carmine septimo instituisse supra p. XV demonstravimus. Praeterea rhythmicis Anacreonteis adnumerandae sunt Preces Ioannis Damasceni in Danielis Thes. hymnol. III, 94 et carmina Palaeologi Manuelis et Catrarae in Matrangae Anecd. II, 675. 682 edita.

Longe maximam autem partem huius libri carmina ecclesiastica byzantina implent, quae adeo summam huius anthologiae efficiunt, ut quae adhuc enarravimus carmina tamquam pro corollario habenda sint. Ea in quae genera dividenda, cui numerorum arti illigata, quibus musicis modulis instructa sint, tribus peculiaribus libris infra edisseram; in hoc libro historiae huius poesis lineamenta adumbrare et poetarum vitas succincte enarrare decrevi.

Tertio igitur et quarto saeculo patres ecclesiae cavisse supra docuimus, ne praeter psalmos Davidis et sacra cantica quidquam carminis in ecclesiis caneretur. Veteres autem illi hymni, quamvis divini hominumque animis commovendis erigendisque idonei essent, tamen iis, quae christiani sentiebant et sibi propria venerabantur, illustrandis praedicandisve facti non erant. Qua de causa postquam turbis ecclesiae compositis minus verendum fuit, ne noviciis carminibus christianae fidei integritas corrumperetur, fieri non potuit, quin et poetae divino instinctu compulsi Christi domini Mariaeque matris dei laudes canerent et populus has cantilenas comprobaret ac quasi

*) Hac occasione oblata, quibus locis Flaschius alia atque Matranga e cod. Barberino enotaverit, referam: v. 2 νῦν ἐθέλων omisso δή — 6 αἰὲν ἡμῖν κραδίην — 19 ἐπαναξίου — 21 ἀκροκρυνο χρυσόμορφον — 39 παμμέδων τεχύνη κεχαραγμένω γραφῆος εἰκόνι σέβας — 46 ἔλει — μέδουσα — 50 κάλαμος σπόγγος τε λόγχη — 53 χορεία — 74 πέτρης — 81 βαίνων — 93 ὑγιὴν — 95 τρυφοίην τεμένωδε πᾶν τὸ σῶμα — 98 Μαρίην — 102 οὐρανὸν ἴδεν.

sinu foveret. Eo accedit, quod ritibus christianis auctoritate publica comprobatis publicisque sumptibus adiutis canticis quoque atque musicae sacrae maiorem operam impendere splendoremque addere coeperunt. Inprimis in urbibus reges et magistratus, ne in christianis sacris adornandis pecuniae parciores quam in paganis esse viderentur, magnifica aedificia exstruebant et pompam rituum omni modo augebant. Quid? quod plebeculae quoque aliquid dandum fuit, quae sacrorum splendore modorumque dulcedine ad christianas ecclesias frequentandas alliciebatur? id quod anachoreta quidam, qui quinto saeculo in solitudinem Nitrearum secesserat, diserte testatur apud Pitram Hymnogr. p. 43: καὶ τὸ τροπάρια καὶ κανόνας ψάλλειν καὶ ἤχους μελίζειν τοῖς κατὰ κόσμον ἱερεῦσί τε καὶ λοιποῖς ἁρμόζον· διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ὁ λαὸς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις συναθροίζεσθαι εἰώθη. Inde factum est, ut quinto et sexto saeculo christiani in duas partes discederent, quorum alteri veterum institutorum venerandam simplicitatem tuebantur mordicusque tenebant, alteri rerum divinarum dignitatem externo quoque splendore augeri fas esse putabant. Neque minimas lites nova illa carmina cantusque modi artificiosiores movebant. Luculentum huius rei testimonium praebet festiva narratio de abbatis Pambonis eiusque discipuli colloquio, quae Alexandriae in ecclesia S. Marci iam quinto saeculo tropariorum cantum floruisse docet. Abbo enim suum discipulum Alexandriam miserat, qui opera suis manibus facta in urbe divenderet. Is per sex dies, quibus in urbe morabatur, in vestibulo ecclesiae S. Marci pernoctabat, ubi officia ecclesiastica cognoscebat et troparia discebat. In cellulam redux tristitiam mente vultuque prae se ferebat, quod ubi Pambo animadvertit, sollicitus ex eo quaerit, quid tandem ei acciderit, cur maestus et demissus incederet. Ille, quid mirum, inquit, quod in hac solitudine animum despondeam, cum neque troparia neque canones canamus, quorum suavitate Alexandriae deliniebar? Cui superciliis contractis abbas: vae nobis, mi fili; video enim tempora instare, quibus monachi hanc severam disciplinam relinquant, et carminum modis ducantur; tum pietatem morumque sanctitatem homines exuent magnaque calamitate affligentur. *)

*) Hanc narrationem e codice Vindobonensi ab Gerberto in Scriptor. eccles. de musica editam et a me in Beitr. p. 33 repetitam hic quoque plene subiicere visum est:

Ὁ ἀββᾶς Παμβῶ ἀπέστειλε τὸν μαθητὴν αὐτοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πρὸς τὸ πωλῆσαι τὸ ἐργόχειρον αὐτῶν. ποιήσας δὲ ἡμέρας δεκαὲξ ἐν τῇ πόλει, ὡς ἔλεγεν ἡμῖν, τὰς νύκτας ἐκόθευδεν ἐν τῷ νάρθηκι τῆς ἐκκλησίας ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου Μάρκου· καὶ ἰδὼν τὴν ἀκολουθίαν τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ἀνέκαμψε πρὸς τὸν γέροντα· ἔμαθε δὲ καὶ τροπάρια.

Λέγει οὖν αὐτῷ ὁ γέρων· ὁρῶ σε, τέκνον, τεταραγμένον· μή τις πειρασμός σοι συνέβη ἐν τῇ πόλει; λέγει ὁ ἀδελφὸς γέροντι· φύσει, ἀββᾶ, ἐν ἀμελείᾳ δαπανῶμεν τὰς ἡμέρας ἡμῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ, καὶ οὔτε κανόνας, οὔτε τροπάρια ψάλλομεν· ἀπελθόντος γάρ μου ἐν Ἀλεξανδρείᾳ εἶδον τὰ τάγματα τῆς ἐκκλησίας, πῶς ψάλλουσι, καὶ ἐν λύπῃ γέγονα πολλῇ, διατί καὶ ἡμεῖς οὐ ψάλλομεν κανόνας καὶ τροπάρια.

Λέγει οὖν αὐτῷ ὁ γέρων· οὐαὶ ἡμῖν, τέκνον, ὅτι ἔφθασαν αἱ ἡμέραι, ἐν αἷς ὑπολείψουσιν οἱ μοναχοὶ τὴν στερεὰν τροφὴν τὴν διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ῥηθεῖσαν καὶ ἐξακολουθήσουσιν ᾄσματα καὶ ἤχους· ποία γὰρ κατάνυξις, ποῖα δάκρυα τίκτονται ἐκ τῶν τροπα-

Eodem autem tempore in Cappadocia etiam per monasteria eundem troparia canendi morem increbuisse, alia narratiuncula docet, quam Pitra, quo duce in hac parte libri utimur, ex codice Vallicell. E, 21 fol. 518 rettulit. Paulus enim abbas, cum quinto saeculo Persae Cappadociam invasissent, primum Constantinopolin, deinde Alexandriam aufugit et ad postremum in solitudinem Nitrearum recessit. Nihil autem in nova sede aegrius tulit, quam quod a contubernali anachoreta prohibitus est, quominus quae in Cappadocia psallere consuerat troparia caneret. Neque ab antistite anachoretarum impetrare potuit, ut sibi soli in sua cellula psalmodiae carminumque cantui vacare liceret. Severioris enim ille disciplinae patronus monacho, qui suae saluti bene consultum vellet, cantilenarum illecebras fugiendas esse monuit.

Sed quae tandem carmina ecclesiastica quinto saeculo florere et percrebescere coeperunt? Hac de re colloquia ab Ioanne et Sophronio cum Nilo abbate in mente Sina conserta*) nos certiores faciunt. Nam eorum, quae

---

ρίων; ποία γὰρ κατάνυξις τῷ μοναχῷ, ὅταν ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ ἐν κελλίῳ ἵσταται καὶ ὑψοῖ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ὡς οἱ βόες; Εἰ γὰρ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ παριστάμεθα, ἐν πολλῇ κατανύξει ὀφείλομεν ἵστασθαι καὶ οὐχὶ ἐν μετεωρισμῷ· καὶ γὰρ οὐκ ἐξῆλθον οἱ μοναχοὶ ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ, ἵνα παρίστανται τῷ θεῷ καὶ μετεωρίζονται καὶ μελῳδοῦσιν ᾄσματα καὶ ῥυθμίζουσιν ᾄχους καὶ σείουσι χεῖρας καὶ μεταβαίνουσι πόδας, ἀλλ' ὀφείλομεν ἐν φόβῳ πολλῷ καὶ τρόμῳ δάκρυσί τε καὶ στεναγμοῖς μετὰ εὐλαβείας καὶ εὐκατανύκτου καὶ μετρίας [ταπεινῆς] φωνῆς τὰς προσευχὰς τῷ θεῷ προσφέρειν· Ἰδοὺ γὰρ λέγω σοι, τέκνον, ὅτι ἐλεύσονται ἡμέραι, ὅτε φθείρουσιν οἱ Χριστιανοὶ τὰς βίβλους τῶν ἁγίων εὐαγγελίων καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ τῶν θεσπεσίων προφητῶν, λεαίνοντες τὰς γραφὰς τῶν ἁγίων καὶ γράφοντες τροπάρια καὶ ἑλληνικοὺς λόγους καὶ χυθήσεται ὁ νοῦς εἰς τρόπους καὶ εἰς τοὺς λόγους τῶν Ἑλλήνων· διὰ τοῦτο καὶ οἱ πατέρες ἡμῶν εἰρήκασιν, ἵνα μὴ γράφωσιν οἱ ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ ὄντες καλόγραφοι τοὺς βίους καὶ λόγους τῶν γερόντων ἐν μεμβράναις, ἀλλ' ἐν χαρτίοις· μέλλει γὰρ ἡ ἐρχομένη γενεὰ λεαίνειν τοὺς βίους καὶ λόγους τῶν πατέρων καὶ γράφειν κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῖς.

Καὶ εἶπεν ὁ ἀδελφὸς· τί οὖν; ἀλλαχθήσονται τὰ ἔθη καὶ αἱ παραδόσεις τῶν Χριστιανῶν καὶ οὐκ ἔσονται ἱερεῖς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἵνα ταῦτα γένηται; καὶ εἶπεν ὁ γέρων· ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν καὶ ἔσται θλῖψις οὐκ ὀλίγη ἐθνῶν.

*) Haec quoque colloquia a Pitra in Iuris eccles. graec. historia et monumentis tom. II p. 220 primum edita et a me loco laudato repetita hic subiicienda curavimus:

Διηγήσατο ἡμῖν ὁ ἀββᾶς Ἰωάννης καὶ ὁ ἀββᾶς Σωφρόνιος λέγοντες· ὅτε ἀπήλθομεν πρὸς τὸν ἀββᾶ Νεῖλον διαφοιβούσης τῆς ἁγίας κυριακῆς εἰς τὸ ὄρος Σινά· ἦν δὲ ὁ γέρων ἡσυχάζων ἄνω εἰς τὴν κορυφὴν τοῦ ὄρους ἔχων ἄλλους δύο μαθητάς. Ἐλθόντων δὲ ἡμῶν εἰς τὰ ἑσπερινὰ ἤρξατο ὁ γέρων τὸ Δόξα πατρὶ σὺν τοῖς ἑξῆς. Καὶ εἰπόντων τὸ Μακάριος (Ps. 1) καὶ τὸ Κύριε ἐκέκραξα (Ps. 140) χωρὶς τῶν τροπαρίων, καὶ [εἰπόντες] τὸ Φῶς ἱλαρὸν καὶ τὸ Καταξίωσον, ἤρξαντο τὸ Νῦν ἀπολύεις σὺν τοῖς ἑξῆς (Luc. 2). καὶ τελέσαντες τὰ ἑσπερινὰ παρέθηκεν ἡμῖν τράπεζαν. καὶ μετὰ τὸ δειπνῆσαι ἠρξάμεθα τοῦ κανόνος. καὶ μετὰ τὸν ἑξάψαλμον καὶ εἰπόντες τὸ Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἠρξάμεθα τοὺς ψαλμοὺς ἀνέτως. καὶ εἰπόντων τὴν πρώτην στάσιν τῶν πεντήκοντα ψαλμῶν ἤρξατο ὁ γέρων τὸ Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς [καὶ ν'] καὶ τὸ Κύριε ἐλέησον. καὶ καθίσαντες ἀνέγνω εἷς τῶν μαθητῶν αὐτῶν (an αὐτοῦ?) τὴν καθολικὴν Ἰακώβου. καὶ ἀναστάντες πάλιν ἠρξάμεθα τὴν δευτέραν στάσιν τῶν ν' ψαλμῶν, καὶ πληρώσαντες τοὺς ν' ψαλμοὺς ἔδωκε τῷ ἄλλῳ ἀδελφῷ καὶ ἀνέγνω ἐκ τοῦ αὐτοῦ βιβλίου Πέτρου τὴν καθολικὴν ἐπιστολήν· καὶ

modo rettulimus, testimoniorum scriptores non modo nihil certi de hac re memoriae prodiderunt, sed etiam mentionem canonum, qui aliquanto post inclaruerunt (conf. Beiträge S. 26 ff.), falso interpolasse videntur. Abbates igitur Ioannes et Sophronius die dominica in cacumen montis Sina ascenderunt, ubi Nilus senex cum duobus discipulis agebat. Hos cum sub vesperum convenissent, mirati sunt severae et antiquae disciplinae addictos omnem carminum modorumque suavitatem respuere. Vespertina enim officia postquam Nilus senex verbis Δόξα τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι exorsus est, psalmos Davidis primum et centesimum quadragesimum sine tropariis recitaverunt et preces notissimas Φῶς ἱλαρὸν et Καταξίωσον et ad postremum Symeonis verba Νῦν ἀπολύεις κ. τ. λ. subiunxerunt. Deinde cenati magna officia, quae canonis nomine significantur, peragere coeperunt. Atque primum quidem hexapsalmum sive psalmos 3, 37, 62, 87, 102, 142 recitarunt recitatisque preces Πάτερ ἡμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς κ. τ. λ. addiderunt. Tum omnes centum et quinquaginta psalmos submissa voce ita dixerunt, ut in tres partes (στάσεις*) eos partirentur et post primam catholicam epistolam Iacobi, post secundam Petri, post tertiam Ioannis legerent. Finitis psalmis et catholicis epistolis novem cantica sacra recitare coeperunt, neque post tertium et sextum canticum mesodia, sed preces Πάτερ ἡμῶν et Κύριε ἐλέησον intertexuerunt. Deinde psalmorum recitatione denuo facta αἶνους sive psalmos CIIL. CIL. CL dixerunt, ne his quidem troparia adiicientes. Ad postremum doxologiam recitarunt et precibus aliquot adiectis finem officiis fecerunt.

Haec igitur officia ab abbate Nilo in monte Sina sexto saeculo observata, a quibus quae etiam nunc in usu sunt officia vespertina (ἑσπερινά) et matutina (ἀκολουθία τοῦ ὄρθρου) non multum differunt, tropariis et cathis-

---

ἀναστάντες ἠρξάμεθα τὴν γ΄ στάσιν, καὶ πληρώσαντες τοὺς ρν΄ ψαλμοὺς καὶ εἰπόντες τὸ Πάτερ ἡμῶν καὶ τὸ Κύριε ἐλέησον, ἐκαθέστημεν καὶ ἔδωκεν ἐμοὶ ὁ γέρων τὴν βίβλον καὶ ἀνέγνωκα τὴν καθολικὴν Ἰωάννου καὶ ἀναστάντες ἠρξάμεθα τὰς ᾠδὰς ἀνέτως ἄνευ τροπαρίων, καὶ οὔτε εἰς τὴν γ΄ ᾠδήν, οὔτε εἰς τὴν ϛ΄ ἐποιήσαμεν μεσῴδιον, ἀλλὰ τὸ Πάτερ ἡμῶν καὶ τὸ Κύριε ἐλέησον· καὶ εἰπόντες τοὺς αἴνους ἄνευ τροπαρίων ἤρξαντο τὸ Δόξα ἐν ὑψίστοις σὺν τῇ πίστει καὶ τὸ Πάτερ ἡμῶν καὶ τὸ Κύριε ἐλέησον· προσέθηκεν οὖν ὁ γέρων λέγων· Υἱὲ καὶ λόγε τοῦ θεοῦ Ἰησοῦ Χριστὲ, ὁ θεὸς ἡμῶν, ἐλέησον ἡμᾶς καὶ βοήθησον καὶ σῶσον τὰς ψυχὰς ἡμῶν. καὶ εἰπόντων ἡμῶν τὸ Ἀμὴν ἐκαθέστημεν.

Καὶ λέγω τῷ γέροντι· διατί, ἀββᾶ, οὐ φυλάττετε τὴν τάξιν τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας; καὶ λέγει μοι ὁ γέρων· ὁ μὴ φυλάττων τὴν τάξιν τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἔστω ἀνάθεμα καὶ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. Καὶ λέγω αὐτῷ· πῶς σὺ αὐτὸς οὐ ψάλλεις εἰς τὰ ἑσπερινὰ τῆς ἁγίας κυριακῆς οὔτε εἰς τὸ Κύριε ἐκέκραξα τροπάρια, οὔτε εἰς τὸ Φῶς ἱλαρὸν τροπάριον, οὔτε εἰς τὸν κανόνα τὸ Θεὸς κύριος, οὔτε εἰς τὴν στιχολογίαν τῶν ψαλμῶν καθίσματα ἀναπαύσιμα, οὔτε εἰς τὰς ᾠδὰς τῶν τριῶν παίδων τροπάρια; ἀλλ' οὔτε εἰς τὸ Μεγαλύνει τὸ Πᾶσα πνοὴ, ἀλλ' οὔτε εἰς τὴν δοξολογίαν τὴν Ἀνάστασιν τοῦ σωτῆρος;

*) Στάσεις psalmorum partes audiebant, quod, cum sedentes epistolarum praelectionem audirent, stantes psalmos recitabant, quem morem testimoniis veterum scriptorum allatis interpretes Cassiani Instit. II, 5 illustraverunt.

matis, psalmorum et canticorum recitationi interponendis, carebant. Sed haec ipsa troparia Ioannes et Sophronius abbates adeo desiderabant, ut Nilum communem ecclesiae christianae normam migrasse criminarentur. Sexto igitur saeculo in omnibus fere ecclesiis atque monasteriis graecis tropariorum cantus florebat, quae psalmis odisque sacris veteris Testamenti inserebant, ne novi Testamenti mysteria, quae νέαν χάριν Sophronius Hierosolymitanus in Comment. liturg. c. 12 dixit (vide Maii Spicil. Rom. t. IV p. 40: Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι ἐν ἀρχῇ πάσης ἑωθινῆς τε καὶ λυχνικῆς τελετῆς πρῶτον τῆς παλαιᾶς ψάλλονται οἱ ψαλμοὶ, εἶτα τῆς νέας χάριτος ᾄσματα, ἵν' ἔχοιεν εἰδέναι πάντες, ὡς εἷς καὶ αὐτὸς ὁ θεὸς καὶ δεσπότης ἐστὶν ὁ ταῦτα κἀκεῖνα νομοθετήσας Χριστός) suo praeconio carerent. Atque ita haec nova carmina christiana placebant, ut mox eorum usus multo latius pateret, neque solum iis, quos in colloquio trium abbatum commemoratos novimus, locis sed etiam singulis psalmorum, canticorum sacrorum, doxologiae versibus troparia νέας χάριτος intertexerentur. Neque solum in graeca ecclesia, sed etiam in latina hunc morem psalmis canticisque veteribus novicios versus intercalandi viguisse edictum papae Adriani II (867—872) docet, quod Leboef Chants eccles. p. 103 ex cod. Parisino 4660 (conf. Ferd. Wolf Ueber die Lais, Sequenzen und Leiche S. 94) edidit: 'hic constituit per monasteria ad missam maiorem in solemnitatibus praecipuis non solum in hymno angelico «Gloria in excelsis deo» canere hymnos interstinctos, quos Laudes appellant, verum etiam in psalmis Davidicis, quos Introitus dicunt, interserta cantica decantare, quae Romani festivas laudes, Franci tropos appellant.' A Graecis vero hunc morem originem duxisse et inde ad occidentales regiones propagatum esse, ipsum nomen troporum satis manifesto demonstrat, quod a graeca radice derivatum esse et cum graeco vocabulo τροπαρίου arcte cohaerere infra docebimus.

Tropariorum poetae antiquissimi Anthimos et Timocles fuisse feruntur, quos Cedrenus p. 349 C anno quadringentesimo sexagesimo quarto floruisse testatur: Ἄνθιμος καὶ Τιμοκλῆς οἱ τῶν τροπαρίων ποιηταὶ ἐγνωρίζοντο. Nullum autem eorum carminum, quae ad hanc aetatem duraverunt, Anthimi aut Timoclis nomen praefixum habet; neque Cyrillum, strenuum Alexandriae episcopum († 444), quem ἀκολουθίας τῶν Ὡρῶν τῆς μεγάλης παρασκευῆς auctorem esse Triodii libri testantur, troparia quoque, psalmis intericienda, composuisse pro certo affirmare ausim. Locupletissimis autem testimoniis antiquissimum troparium Ὁ μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ (p. 52) ab imperatore Iustiniano (527—565) compositum esse constat; conf. Sophronium in Maii Spicil. Rom. IV, 41: τὸ δὲ Ὁ μονογενὴς υἱὸς παρὰ τοῦ βασιλέως Ἰουστινιανοῦ ἐμπεφώνηται, et Cedrenum Hist. compend. p. 371 A: Τούτου τῷ β' ἔτει ἀνεκαίνισεν ἐκ θεμελίων Ἰουστινανὸς τὴν τοῦ θεοῦ μεγάλην ἐκκλησίαν κάλλος καὶ μέγεθος ὑπὲρ τὸ πρότερον, παραδοὺς καὶ τροπάριον αὐτῇ ὑπ' αὐτοῦ μελισθὲν ψάλλεσθαι 'Ὁ μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος', ἐποίησε δὲ καὶ τὸ ὡρολόγιον τοῦ μιλίου. Contra minime dubito, quin neque Anatolium neque Syceotam

his antiquissimis auctoribus tropariorum adnumerare liceat. Anatolium enim, cuius multa et egregia troparia tam in libros canonicos ecclesiae graecae quam in hanc anthologiam recepta sunt, falso patriarcham Constantinopolinum saeculi quinti dici infra demonstrabimus, et Syceotam, qui plura idiomela 15. Ian. 5. Febr. 6. Mart. composuisse dicitur, ne cum cognomine Syceota, episcopo Anastasiopolitano (conf. Συναξάρια 22. Ἀπριλ.) confundas, gravissimum argumentum prohibet; nam idiomelon diei sexti Martis memoriam oppidi Amorii ab Agarenis sub imperatore Theophilo capti conservat. Hoc quoque dubium est, num praeclarum troparion Symeonis (25. Octob.)

Τῆς γῆς συνταραχθείσης τῷ τῆς ὀργῆς σου φόβῳ
βουνοὶ καὶ τὰ ὄρη συσσείονται, κύριε·
ἀλλ' εὐσπλαγχνίας ὄμματι ἐφ' ἡμᾶς ἐπιβλέψας
μὴ τῷ θυμῷ σου ὀργισθῇς ἡμῖν.
ἀλλὰ σπλαγχνισθεὶς ἐπὶ τὸ πλάσμα τῶν χειρῶν σου
τῆς φοβερᾶς ἡμᾶς τοῦ σεισμοῦ ἀπειλῆς ἐλευθέρωσον
ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος.

ab Symeone Thaumastorita, quem sub finem sexti saeculi duodeviginti annos in summa columna stetisse narrant (conf. Συναξάρια 24. Μαΐου) compositum sit. Terrae enim motus, qui hoc et aliis eiusdem diei carminibus indicatur, longe post Symeonis illius obitum sub imperio Leontis Isaurici anno 740 accidisse Synaxaria testantur; qua de causa nisi antiquum carmen hoc novo terrae motu resuscitatum esse statuas, alium Symeonem huius troparii auctorem dicas necesse est. Contra inter antiquissima troparia καθίσματα, ἀπολυτίκια, στιχηρὰ αὐτόμελα numeraverim, quae, cum sine nomine auctoris ferantur, hac ipsa re remotam originem produnt. Neque solum veneranda vetustate illa insignia sunt, sed etiam grata quadam numerorum simplicitate sententiarumque gravitate, quo factum est, ut multos imitatores invenirent, qui iisdem numeris modisque usi similia troparia (Προσόμοια) componerent. Atque adeo horum modorum suavitate vulgo delectabantur, ut nullus fere dies festus tropariis ad exemplar eorum factis careret. Haec cum ita essent, καθίσματα et στιχηρὰ προσόμοια primo loco in hac anthologia collocanda et in tertio libro, quo de numeris carminum byzantinorum commentatus sum, inprimis illustranda duximus. Neque dubito, quin multis idem, quod mihi, accidat, ut cum poetarum a Byzantinis maxime laudatorum prolixos canones non sine taedio perlegerint, ad gratam simplicitatem brevium horum carminum iterum iterumque redeant.

Poesis igitur christiana medio aevo a singulis versibus modicisque strophis, quas tropos vel troparia appellabant, faciendis initium cepit. Tanto opere enim christiani primis saeculis medii aevi psalmorum cantui, patrum institutis quasi consecrato, favebant, ut nova cantica integra comprobare non auderent, sed in brevibus strophis psalmorum versibus intexendis vel adfigendis acquiescerent. Ampliorem autem huic novo poesis generi campum officia matutina et vespertina quam liturgia sive missa praebebat. Quod

enim maxime his tropariis agebant, ut ne psalmorum cantu solo probato christiana mysteria neglegerentur, hoc in liturgia, qualem Chrysostomus et Basilius adornaverant, cum aliis rebus tum exclamationibus (ἐκφωνήσεσι) insertis satis iam provisum esse videbatur; conf. Sophronium in Maii Spic. Rom. IV, 31: Μετὰ δὲ τοὺς θεηγόρους ἀποστόλους τινὲς τῶν θείων πατέρων ἰδιάζοντες ἕκαστος εὐχὰς ἐποιεῖτο καὶ ἐκφωνήσεις καὶ ἀπηρτισμένην ἱερουργίας ἀκολουθίαν· ὡς ὁ ἐν ἁγίοις ἐπιφανὴς Ἐπιφάνιος καὶ ὁ μέγας Βασίλειος καὶ ὁ θεῖος Χρυσόστομος. Quid vero? quod illas exclamationes, quarum nonnullae ut

Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι
νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.
Ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν, κύριε ἐλέησον.
Σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι.

tam numerose clauduntur, ut rhythmicam earum naturam non agnoscere non possis, tropariorum exempla et originem haud immerito dixeris. Nova autem troparia cum dierum festorum officiis, quae ἀκολουθίας Graeci appellabant, tam arcte coniuncta erant, ut qui haec concinnaverant, carminum quoque auctores fere perhiberentur. Inde causa repetenda esse videtur, cur quo nomine Graeci totum officiorum orbem appellaverant, in latina ecclesia carmina sola significata sint. Etenim et nomen sequentiarum a graeco nomine ἀκολουθίας translatum esse manifestum est et verborum significatio mutuo linguarum commercio paululum detorta nihil novi aut inauditi habet.

Atque haec quidem tropariorum poesis, cum iam quinto et sexto saeculo florere coepisset, et numero Sanctorum aucto et sacris ritibus locupletatis latius in dies patebat. Postquam vero maiorem populi applausum novicii poetae tulerunt, non solum alteram et tertiam stropham addere, sed etiam integra carmina, quae seiuncta a psalmis cantarentur, pangere coeperunt. Longiora haec carmina, quae partim res in evangeliis relatas poetico decore ornabant, partim martyrum Sanctorumque laudes celebrabant, fere viginti quatuor strophis constabant et acrostichide aut poetae nomen aut literas alphabeti continebant. Versuum metrorumque genere non eodem omnes utebantur, sed qui Anacreonticos versiculos continuabant, syllabarum quantitatem, qui varios et liberiores numeros miscebant, accentuum vices observabant. Atque adeo tum temporis rhythmicorum carminum dulcedine magis quam metricorum artificiosa subtilitate homines delectabantur, ut Anacreontea carmina legere, non cantare solerent, rhythmica et in ecclesiis cantarent et psalmorum canticorumque sacrorum dignitati cedere nollent. Peculiaria nomina his carminibus ipsis nulla fuisse videntur, vulgaribus enim notisque nominibus alia ποιήματα, alia ψαλμοὺς, alia ὕμνους, alia αἴνους, alia denique ἔπη nominabant, strophas autem proprio et obscuro nomine οἴκους appellabant.

Summi huius carminum generis auctores Sophronius Hierosolymitanus, Sergius patriarcha Constantinopolitanus, Romanus, Anastasius fuerunt, qui

omnes septimo saeculo floruisse perhibentur. Atque Sophronii quidem praeter parva quaedam idiomela tria longiora carmina Anacreontea metrica, de quibus supra p. XXIX iam disputavimus, Sergii ὕμνον ἀκάθιστον, qui solus innotuit, Romani celeberrimi et fecundissimi vatis psalmum apostolorum hoc libro excudendum curavimus. Anastasii autem, qui Romano paene gemellus et ipse humilem (ταπεινόν, conf. Romani psalmi acrostichidem p. 136) in acrostichide sese praedicat, unum carmen novimus, cuius strophas aliquot ex cod. Corsiniano Pitra in Iur. eccl. graeci hist. et monum. II, 284 primus edidit et nos tamquam anapaestici numeri exemplum infra afferemus. Praeterea alios poetas, velut Cosmam, Georgium, Cyriacum, Demetrium, Eliam, Romanum melodum quasi corona cinxisse ex iis, quae Pitra Hymnogr. p. 49 ex vetere tropologio codicis Corsiniani rettulit, apparet. Sed omnis haec poesis mox adeo in oblivionem abiit, ut praeter rudera aliquot stropharum, quae sub nominibus κοντακίων et οἴκων in libros canonicos receptae etiamnunc in honore sunt, pleraque carmina interierint. Aliud enim carminum genus inde ab octavo saeculo suo fulgore vetera carmina obscurare coepit, canonum dico poesis, de quibus iam mihi disserendum est.

Canones nonas aut octonas odas complectuntur, quarum pleraeque ex tribus pluribusve strophis constant. Numerus odarum cum novem canticis sacris cohaeret, quae christiani inde ab antiquissimis temporibus psallere consueverant. Horum canticorum versibus cum similiter atque psalmorum singula troparia intertexerent, aliae novem odae ortae sunt, quas canonis nomine comprehendebant. Quo autem tempore haec canonum poesis florere coeperit, ideo difficile ad diiudicandum est, quod et nominis canonis multifariae significationes erant et recentiores scriptores, si quos carminibus ecclesiasticis studuisse acceperant, alia carmina quam troparia et canones non intellegebant. Atque Pitra quidem, cum Pambonis discipulum in ecclesia Alexandrina troparia et canones cantatos audiisse et Paulum abbatem in Nitrearum cellulis sua troparia et canones desiderare (cf. p. XXXI) legisset, dicere non dubitavit canonum cantu iam quarto saeculo christianos graecos delectatos esse. At huic opinioni multae et gravissimae res refragantur. Primum enim omnium, cum latinorum canonum nulla vestigia exstent, graecos canones tum demum ortos esse verisimile est, cum latinae et graecae ecclesiae commercia solvi coepta sunt. Troporum certe, quos quinto saeculo Constantinopoli floruisse constat, et usum et nomen a Graecis ad Latinos propagatum esse novimus. Deinde in colloquio trium abbatum supra p. XXX relato, quo quibus carminum generibus sexto saeculo christiani usi sint, docemur, et nomen κανόνος alia significatione usurpatum est, et mesodia non omnibus novem canticis sacris subiicienda, sed tertio tantum et sexto intertexenda commemorantur. Denique plurimum valet, quod neque Anthimi neque Timoclis neque Romani neque alius ex vetustioribus poetis canones exstant aut commemorati inveniuntur. Quae cum ita sint, interpolatorem nescio quem narratiunculis illis de Pambone Aegyptio et Paulo Cappadoce

mentionem canonum falso immiscuisse veri simillimum est. Primi autem canonum scriptores, Andreas Cretensis, Ioannes Damascenus, Cosmas Hierosolymitanus octavo saeculo floruerunt; atque duo posteriores summa fama apud Byzantinos celebrabantur et etiamnunc celebrantur, eorumque carmina adeo aequalibus et posteris probabantur, ut in omnibus ecclesiis graecis cantarentur neque umquam cantari desinerent. Ipsorum vero auctoritas formae quoque canonis, qua tantum non omnia sua carmina incluserunt, dignitatem auxit, quo factum est, ut non solum carmina illorum ipsa, sed etiam forma eorum canonico quodam iure frueretur.

Atque Ioannes et Cosmas praecipuis ecclesiae graecae solemnitatibus, τῆς ὑψώσεως τοῦ σταυροῦ, τῶν Χριστουγέννων, τῆς Θεοφανίας, τῆς ὑπαπαντῆς τοῦ κυρίου, τῶν Βαΐων, τῆς πέμπτης τῆς μεγάλης ἑβδομάδος, τοῦ μεγάλου σαββάτου, τοῦ Πάσχα, τοῦ Ἀντιπάσχα, τῆς ἀναλήψεως καὶ μεταμορφώσεως Χριστοῦ, τῆς κοιμήσεως τῆς θεομήτορος, τῆς Πεντηκοστῆς, denique τῆς κυριακῆς canones composuerunt. Locum autem a principibus melodis intermissum multi, qui praeclaram eorum artem aemulabantur, mox ita explebant, ut nullus dies festus suo canone careret nec pauci duobus pluribusque instruerentur. Praeterea Cosmas in secundum tertium quartum diem magnae hebdomadis breviora carmina fecit, quae secundum numerum odarum διῴδιον, τριῴδιον, τετραῴδιον appellabat. Atque in hac quoque arte imitatores invenit Theodorum et Iosephum, qui in aliarum quoque hebdomadum singulos dies triodia composuerunt. Neque tamen in tanta poeticorum studiorum fecunditate tropariorum sticherorumque poesis prorsus neglecta iacebat, immo vero qui longos canones pangendi aut otio aut facultate carebant, brevibus idiomelis orthodoxiae fautores et patronos sese iactabant. Quid? quod feminae quoque, quod in magno studiorum ardore usu venire solet, cum viris concertare conabantur. neque male iis conatus cessisse videtur, siquidem Casiae hirmos Marcus monachus dignos esse existimavit, quorum modulos in suis tropariis sequeretur; conf. adnot. ad Cosmae can. XIII. Reges quoque non solum melodos honoribus et beneficiis ornabant, sed etiam ipsi carmina pangebant et psallendi artem promovebant. Sic de rege Theophilo, quem iconoclastarum partibus favisse constat, Zonaras Epit. hist. XV, 27 haec refert: ἐφιλοτιμεῖτο δὲ καὶ μελῳδεῖν· λέγονται μὲν οὖν καὶ ἕτερα ποιήματα, πρὸς τοῖς ἄλλοις δὲ καὶ τὸ κατὰ βαϊοφόρον ἑορτὴν ᾀδόμενον στιχηρὸν τὸ Ἐξέλθετε ἔθνη, ἐξέλθετε καὶ λαοὶ, καὶ θεάσασθε σήμερον, τὸν βασιλέα τῶν οὐρανῶν, ὡς ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ, ἐπὶ πώλου εὐτελοῦς, τὴν Ἱερουσαλὴμ ἐπιβαίνοντα· γενεὰ Ἰουδαίων, ἄπιστε καὶ μοιχαλὶς, δεῦρο θέασαι, ὃν εἶδεν Ἡσαΐας ἐν σαρκὶ δι' ἡμᾶς παραγενόμενον, πῶς νυμφεύεται ὡς σώφρονα τὴν νέαν Σιὼν, καὶ ἀποβάλλεται τὴν κατάκριτον συναγωγήν· ὡς ἐν ἀφθάρτῳ δὲ γάμῳ καὶ ἀμιάντῳ, ἀμίαντοι συνέδραμον εὐφημοῦντες, οἱ ἀπειρόκακοι παῖδες, μεθ' ὧν ὑμνοῦντες βοήσωμεν, ὕμνον τὸν ἀγγελικόν· Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις, τῷ ἔχοντι τὸ μέγα ἔλεος' (Τριῳδ. σελ. 339), quocum conferas Cedrenum Hist. compend. p. 522 B similia de eodem Theophilo referentem: ἐφιλοτιμεῖτο καὶ μελῳδὸς

εἶναι· διὸ καὶ ὕμνους ποιῶν τινὰς καὶ στιχηρὰ μελίζων ᾄδεσθαι προετρέπετο· μεθ' ὧν καὶ τὸ τοῦ τετάρτου ἦχου 'Εὐλογεῖτε' ἐκ τοῦ κατὰ τὴν ὀγδόην ᾠδήν· ''Ακουε κόρη' (vide p. 240) μεθαρμοσάμενος καὶ ῥυθμὸν ἕτερον παρασχὼν ἐν τῇ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίᾳ εἰς ἐπήκοον ᾄδεσθαι διωρίσατο· φέρεται δὲ καί τις λόγος, ὡς ἔρωτι τοῦ μέλους βαλλόμενος κατὰ τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν ἐν φαιδρᾷ πανηγύρει (φαιδραῖς πανηγύρεσι ed. Paris.) οὐ παρῃτήσατο τὸ χειρονομεῖν, δοὺς τῷ κλήρῳ ὑπὲρ τούτου χρυσίου λίτρας ἑκατόν· καὶ τὸ στιχηρὸν δὲ τὸ κατὰ τὴν βαϊοφόρον τὸ ''Εξέλθετε ἔθνη, ἐξέλθετε καὶ λαοί' τῆς ἐκείνου φασὶν εἶναι τόκον ψυχῆς. Magno vero in honore habentur orthodoxorum regum Leontis Ἐωθινὰ et Constantini Porphyrogennetae Ἐξαποστειλάρια, quae in notissimos libros graecae ecclesiae, Octoechum, Paracleticum, Horologium recepta ne ex hac quidem anthologia seclusimus. Quamquam, ut quid sentiam eloquar, non meum pulchri venustique sensum, sed hominum byzantinorum iudicium sive potius ambitionem, in hac re secutus sum. Sunt enim illa carmina, si quid aliud, putida et inficeta neque tantam dignitatem consecuta essent, nisi Byzantini, quo erant abiecto et servili animo, regia auctoritate rei tenuitatem fulciri posse arbitrati essent.

Sed ut ad poesin canonum redeam, graeci poetae usque ad nonum saeculum iidem et carmina panxerunt et musicis modulis instruxerunt. Atque musici partes tanti vulgo faciebant, ut clarissimos poetas, velut Romanum, Ioannem μελῳδούς, id est modulationum (μελῶν) compositores appellarent, et poetae quoque nomine vetere more (conf. Bergk Poetae lyr. gr. p. 820 ed. III) ad auctorem et verborum et modorum significandum uterentur. Sed haec scriptoris et musici societas saeculo nono et decimo solvi coepta est, unde auctoribus quoque canonum non μελῳδῶν, sed ὑμνογράφων cognomen indiderunt. Atque haec quoque res cum auctoritate, qua Ioannis et Cosmae canones florebant, arcte coniuncta est; eo magis enim novi canones placebant, quo similiores probatis hirmis illorum melodorum esse videbantur. Accedit, quod modorum nimia varietas et cantoribus haud mediocrem difficultatem parabat et auditoribus parum accepta erat. Ut enim verba et sententias alias alii dies festi flagitabant, ita modorum decor et laetitia fere omnibus festivitatibus ecclesiae, et quae Christi domini Mariaeque matris vitam spectabant et quae martyrum praemia celebrabant, idonea atque accommodata erant. Quo factum est, ut iam Theophanes, quem cum Cosma et Ioanne carminum ecclesiasticorum auctores Byzantinis, ut Homerum et Hesiodum veteribus Graecis mythologiae, exstitisse Cedrenus p. 456 D refert, in suis canonibus Ioannis probatis modis quam novis uti mallet. Eius exemplum, qui insequentibus temporibus canones conscripserunt, omnes secuti sunt, ut Iosephus hymnographus, Metrophanes, Georgius, Arsenius, Basilius, Clemens, Ignatius, Stephanus, Tarasius, alii. Ne in minoribus quidem poematis poetas huius aetatis antiquos numeros modosque aspernatos esse Iosephi et Theophanis στιχηρὰ ad exemplar veterum hirmorum expressa demonstrant; quamquam in hac parte musicae studia magis exercita esse

amplus numerus idiomelon testatur, quae quidem ab hac re ipsa, quod propriis, non veteribus modis aptata erant, cognominata sunt.

Post undecimum saeculum fecunda poetarum ecclesiasticorum vena paulatim deficere et exarescere coepit. Nec mirum illud quidem; nam canonibus et minoribus carminibus paene innumeris factis et omni laudum materia exhausta poetae non habebant, in quo amplius vires exercerent. Huc accessit, quod decimo saeculo publica auctoritate libri, qui celeberrima omnium solemnitatum carmina vel, ut graecis vocabulis utar, ἀκολουθίας ἀσματικὰς complectebantur, componi coepti sunt. Carmina vero his libris, quorum nomina et argumenta in secundo libro enucleate exponemus, recepta in omnibus ecclesiis cantabantur, unde ea Cedrenus p. 456 D τὰ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῶν Χριστιανῶν τετυπωμένα ψάλλεσθαι dixit. Quae cum ita essent, operam non perdere non poterant, qui sua musa carmina communi consensu probata et summa auctorum auctoritate commendata loco movere molirentur. Et quod certissimum venae poetarum exarescentis documentum esse solet, iam undecimo saeculo in veteres canones Cosmae, Ioannis, Theophanis prolixos commentarios conscribere coeperunt. Sic Zonaras, quem Alexi Comnena imperatore (1081—1118) floruisse constat, de canonibus anastasimis Ioannis Damasceni commentatus est, quibus ex commentariis gravissimam commentationem de nominibus κακόνος εἱρμοῦ τροπαρίου in Beitr. S. 1—10 nuper edidimus. Sequenti autem saeculo Theodorus Prodromus Ἐξήγησιν εἰς τοὺς ἐν ταῖς θείαις καὶ δεσποτικαῖς ἑορταῖς μελουργηθέντας κανόνας παρὰ τῶν ἁγίων καὶ σοφῶν μελῳδῶν Κοσμᾶ καὶ Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ conscripsit, quam in membranis paene aequalibus bibliothecae Vindobonensis cod. gr. theol. n. 121 perlustravimus, et a Gregorio Corinthio auctam atque locupletatam in codice bombycino Monacensi (A) perlegimus. Raro autem et praeter consuetudinem accidit, ut post carmina ecclesiastica vetera in libris Octoechi, Triodii, Menaeorum collecta et commentariis virorum doctorum illustrata recentiora cantica communi consensu comprobarentur comprobataque libris illis canonicis insererentur. Eximium hunc honorem quarto decimo saeculo meriti sunt Philotheus, clarissimus patriarcha Constantinopolitanus, quem ἀκολουθίας ἀσματικὰς S. Gregorii Palamae (Τριῳδ. 170) et S. Golinduchis martyris (13. Iul.) composuisse ferunt et multi alii canones codicis Vindob. theol. n. 187 auctorem perhibent, et Nicephorus Xanthopulus, Callisti filius et Συναξαρίων auctor, cuius ἀκολουθίαν εἰς τὴν Θεοτόκον intra carminum Pentecostarii delectum iam constitutum postea receptam esse scholion Pentec. p. 15 his verbis adnotavit: ψάλλομεν τὴν παροῦσαν ἀκολουθίαν τὴν γεγονυῖαν παρὰ κυρίου Νικηφόρου Καλλίστου τοῦ Ξανθοπούλου εἰς τὴν ὑπεραγίαν καὶ κυρίαν Θεοτόκον, τὴν ζωοδόχον πηγήν· οὐ γὰρ εὕρομεν ὑπὸ τυπικοῦ τὴν τοιαύτην ἀκολουθίαν, ἀλλ' ἐτέθη δι' ἀγάπην τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου; conf. Barth. Cutlumusianum in praef. Pentec. ε'. Recentissimus vero, quod sciam, auctor carminum ecclesiasticorum saeculo sexto decimo Nicolaus Malaxus Peloponnesius exstitit, cuius ex multifariis carminibus in codicibus Venetis n. 188

et 198 servatis (conf. Barth. Cutlumusianum Pent. ζ') pauca tantum frustula in Pentecostario et Menaeis relicta sunt.

Alia ratio monachorum graecorum coenobii Grottaferratae fuit, qui cum decretis patriacharum imperii byzantini non tenerentur, multa nova carmina ecclesiastica composuerunt; sed cum neque novo artis splendore eminerent nec a reliquis Graecis comprobarentur, nomina melodorum supra p. XXVI rettulisse satis habuimus.

Societate musicae et poeticae artis soluta poesin post brevem fecunditatem paulatim defecisse cognovimus, musica autem tamquam molesta societate liberata laetius efflorescere coepit et sorori multum superstes ne post interitum quidem imperii byzantini pullulare desiit. Eadem autem cum necessitudine poesis non iam coerceretur, modestiae et pudoris fines egressa latius evagari et maiores gyrorum ambages in dies ducere coepit. Cosmae enim et Ioannis Damasceni aetate verborum numeri et cantus modi adeo coniuncti erant, ut singulae syllabae fere singulis vocis flexibus responderent, at extremis temporibus medii aevi gratam illam simplicitatem modulationum fastidiebant et maxime protractis modis delectabantur. Quin adeo musica ars de sua origine degeneravit, ut haud raro plus vicenos vocis flexus uni syllabae tribuerent; quo more probato nihil iam verborum numeri valebant et sententiae omni et quantitatis et accentus lege solutae in musicos modos cogi poterant. Rarissime autem verba, quibus modulationum flexus accommodarent, ipsi panxerunt, quod ubi factum est, ut in Manuelis Chrysaphis idiomelo a nobis ex cod. bibliothecae universitatis Monacensis (U) primum edito (p. 105), et verba et modulationes (τά τε γράμματα καὶ τὸ μέλος) eiusdem auctoris esse monuerunt. Vulgo psalmorum Davidis veterumque tam canonum quam sticherorum verba suis modulationibus ornabant, nec non verba invertentes et veteres modos dilatantes ludebant, unde modulatio huius generis in cod. Vindob. phil. n. 194 fol. 138 audit μέλος μετατεθὲν καὶ καλλωπισθὲν καὶ πλατυνθὲν ἔν τε χειρονομίαις καὶ μέλεσι καὶ ἰδιώμασι παρὰ τοῦ μακαρίτου ἐκείνου λαμπαδαρίου κυρίου Ἰωάννου τοῦ Κλάδα. Musici ipsi μαΐστορες, quod nomen de latino nomine magistri fluxisse patet, vel patres musicae, unde ars musica τέχνη παπαδικὴ a Graecis dicta esse videtur, cognominari soliti sunt. Maximam autem famam inter eos consecuti sunt Μανουὴλ Χρυσάφης, Ἀνανεώτης, Ἰωάννης Γλυκὺς, Ἰωάννης Κουκουζέλης, Ἰωάννης Κλάδας. Praeterea multa barbara musicorum nomina, ut Μπερίτη, Τζακνοπούλου, aliorum occurrunt (conf. Pitra Hymnogr. p. 65); quamquam valde dubito, num cum Pitra inde colligere liceat, graecae musicae integritatem his ultimis temporibus imperii byzantini Persarum Arabum Turcorum sordibus corruptam et inquinatam esse. Equidem enim huius rei documenta adeo desidero, ut multo verisimilius esse existimem musicam artem a Graecis ad barbaras illas gentes translatam esse. Omnino autem graecae musicae historia spississima caligine adhuc obruta est, et lineamenta tantum tenuissima Chrysanthus in libro Θεωρητικὸν μέγα τῆς ἑλληνικῆς μουσικῆς inscripto

p. 33 sqq. adumbravit. Nec meum fuit in hoc libro, quo carmina ipsa emendata edere eorumque historiam contexere institui, hanc quoque provinciam, meis viribus maiorem, administrare. Qua de causa Graecos ipsos iterum iterumque rogatos velim, ut eius artis, cuius monumenta inter praeclarissima decora suae gentis merito iactant, historiam ex membranarum situ eruere conentur.

Poesis ecclesiasticae byzantinae nascentis, pubescentis, deficientis historia succincta oratione enarrata, ad poetarum, quorum carmina in hanc anthologiam recepimus, vitam et opera aperienda mihi transeundum est; rem adgredior difficilem, cum nec ipse in literis byzantinis ita versatus sim, ut ad fontes vitarum ipsos aditus mihi pateat, nec alii viam satis patefecerint. Qui enim huic rei illustrandae maxime idoneus erat, Leo Allatius, tractatum de melodis graecis, quem conscribendi consilium non modo se iniisse, sed etiam perfecisse in commentatione De libris eccles. Graecorum p. 81 dixit, numquam in lucem emisisse videtur. Fabricius autem in Bibl. graecae novae t. XI p. 76 sqq. et Chrysanthus in Θεωρητ. τῆς μουσικῆς p. 33 sqq., qui soli, quantum comperi, post Leontem Allatium huic rei operam navarunt, in eo acquieverunt, ut nominum poetarum indicem, ab illo iam concinnatum, paucis et brevibus additamentis ampliarent. Maiores copias Synaxaria Sanctorum graecae ecclesiae, a Nicephoro Callisto Xanthopuli filio conscripta, mihi suppeditaverunt. Multi enim melodi digni post mortem existimati sunt, quorum memoria annuis diebus festis resuscitaretur. Praeterea lexicographorum et historicorum notissimis testimoniis adhibitis vitas poetarum ita adumbravi, ut hanc provinciam aliis non explendam, sed redintegrandam relinquerem, multis tamen lectoribus gratum et acceptum me fecisse confiderem. Opera vero singulorum poetarum si quis plene recensere in animum induxerit, eum non solum libros prelo excusos, sed etiam codices manu scriptos evolvere oportebit; amplae enim eorum copiae, luce clariore vix dignae, adhuc in bibliothecarum tenebris latent, quas inspiciendi cum nobis copia non esset, Paranicas meus tantum eorum carminum, quae in libros canonicos Menaeorum, Triodii, Pentecostarii recepta sunt, indicem confecit et huic libro subiunxit. Priusquam autem alphabeticum ordinem secutus poetarum vitas enarrem, brevi praemoneo primas partes melodis Cosmae Hierosolymitano et Ioanni Damasceno, secundas hymnographis Theophani et Iosepho a Byzantinis assignatas esse, quam quidem rem Cedrenus p. 456 D testatur: Ὁ ὅσιος Ἰωάννης καὶ μελῳδὸς ὠνομάσθη μετὰ Κοσμᾶ τοῦ ἐπισκόπου τοῦ Μαιουμᾶ καὶ Θεοφάνους ἀδελφοῦ Θεοδώρου τῶν Γραπτῶν διὰ τὸ αὐτοὺς μελῳδῆσαι τὰ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῶν Χριστιανῶν τετυπωμένα ψάλλεσθαι atque etiam apertius Typici auctor cap. VII: Ἰστέον δὲ καὶ τοῦτο, ὡς εἴπερ ἔχει τὸ Μηναῖον ἐν μνήμῃ ἁγίου τινὸς κανόνας διαφόρων ποιητῶν, εἰ μέν ἐστι κανὼν ὁ τοῦ κυρίου Κοσμᾶ, προκριτέος· εἰ δὲ τοῦ κυρίου Ἰωάννου καὶ ἑτέρων, ὁ τοῦ Ἰωάννου προκρίνεται· εἰ δὲ τοῦ κυρίου Θεοφάνους καὶ ἑτέτων, ὁ τοῦ κυρίου Θεοφάνους προκρίνεται· προτιμητέος γάρ ἐστι τῶν ἄλλων·

εἰ δὲ τοῦ κυρίου Ἰωσὴφ, οὗτος τῶν λοιπῶν προτετίμηται ποιητῶν. Denique his testimoniis Nicephori Xanthopuli versus, quibus celeberrimi melodi recensentur, conferre iuvat:

Οἱ τὰ μέλη πλέξαντες ὕμνων ἐνθέων:
ἡ λύρα τοῦ πνεύματος Κοσμᾶς ὁ ξένος,
Ὀρφεὺς νεαρὸς ἡ Δαμασκόθεν Χάρις,
καὶ Θεόδωρος, Ἰωσὴφ οἱ Στουδῖται
ὄργανα τὰ κράτιστα τῆς μουσουργίας,
ξένη τε Σειρὴν Ἰωσὴφ ὑμνογράφος,
μέλος παναρμόνιον Ἀνδρέας ἐκρότεις,
καὶ Θεοφάνης, ἡ μελιχρὰ κινύρα,
Γεώργιος, Λέων τε, Μάρκος, Κασία.

Ἀνατόλιος. In Menaeis et Octoecho plus centum carmina exstant Anatolii nomine inscripta; omnia cum minorum carminum generi adnumeranda sint, plurimis singulae tantum strophae sunt; qui pluribus strophis constant, non iisdem in omnibus strophis numeris modisque utuntur. Sed qui Anatolius ille fuerit, et qua aetate floruerit, neque certi quidquam memoriae proditum inveni neque ab aliis diligenter quaesitum novi. Quid? quod Anatolium, ut alterum Orpheum, nullum fuisse inde non inepte aliquis colligat, quod haud raro in libris illa carmina στιχηρὰ ἀνατολικὰ inscribuntur. Cum enim στιχηρὰ alia ἀναστάσιμα, alia κατανυκτικὰ, alia νεκρώσιμα, alia alio nomine ex carminis cuiusque argumento ducto dicantur, illum quoque titulum ab argumento, non ab homine derivandum esse suspiceris. Sed animum ad hanc sententiam pronum et nomen Ἀνατολίου aliis locis in libris plene exaratum et res in illis carminibus expositae revocant. Ad remotissima autem tempora inscriptione Ἀνατολίου πατριάρχου in Octoechi editione Veneta a. 1869 obvia ducimur; Anatolius enim patriarcha quinto saeculo floruit et concilio Constantinopolitano, quo Eutychis errores anno 450 damnati sunt, praefuit. At patriarchae cognomen nos quidem in nullo codicum, licet satis magnum numerum inspexerimus, adscriptum invenimus, nec ullam ei fidem habendam esse argumenta certissima evincunt. Carmine enim, quod 24. Octob. vulgo cantatur, Anatolius Arethae martyris, quem Iustiniano imperatore in Aethiopia mortem pro sua patria occubuisse Synaxaria narrant, et alio, quod 12. Novemb. cantatur, Ioannis Eleemonis, qui septimo saeculo ineunte Alexandriae archiepiscopus factus est, laudes praedicat. Ex altera parte Anatolium post octavum saeculum floruisse veri dissimile est. Namque cum in Octoechi libris duo cuiusque toni (ἦχου) στιχηρὰ ἀναστάσιμα ferantur, Anatolii, quae secundo loco collocata sunt, librarius codicis Monacensis D a prioribus ita distinxit, ut ἀπὸ τῶν παλαιῶν ea inscriberet. Iam priora ab Ioanne Damasceno, qui omnium Octoechi carminum, quae aliis non nominatim tribuuntur, auctor esse probatur, composita esse veri simile est. Ergo ante Ioannem Damascenum vel ante medium saeculum octavum Anatolium vixisse merito concludere

nobis videmur. Nolo tamen silentio praetermittere in cod. Vindob. theol. n. 181 anno 1221 exarato, in quo similiter atque in cod. Vindob. theol. n. 136 priora στιχηρὰ ἀναστάσιμα plane omissa sunt, illa στιχηρὰ, quae vulgo Anatolii esse feruntur, ποίημα Ἰωάννου μοναχοῦ inscripta esse. Nec tamen dubito, quin hunc librariorum esse errorem dicam, qui aliorum quoque carminum auctores referentes persaepe erraverunt, aut duo nomina coniungentes (vide cod. E innumeris locis et Menaea 2. Febr. p. 12 et 30. Nov. p. 197) ancipitem iam sua aetate virorum doctorum opinionem fuisse testantur. Coniuncta autem cuiusque toni duo carmina ita explico, ut alia aliis locis antiquitus cantata fuisse, Octoechi autem scriptorem, ut utriusque partis usui consuleret, utraque carmina copulasse statuam. Quae si recte disputavi, illud quoque probabiliter coniici potest, in qua terrarum parte Anatolius floruerit. Duas enim tum temporis, quae reliquis eminerent, sedes ecclesiae graecae fuisse constat, alteram Hierosolymitanam, alteram Constantinopolitanam. Iam Ioannis Damasceni, quippe qui coenobii S. Sabae presbyter fuisset, Hierosolymis et in orientalibus partibus imperii byzantini summa auctoritas erat. Inde Anatolium Constantinopoli vixisse aut patriarchae Constantinopolitani favore usum esse suspicor. Haec literis iam mandaveram, cum in magno Horologio Venetiis anno 1850 edito Barth. Cutlumusianum p. 301 adnotasse cognovi fuisse, qui Anatolium poetam Theodori Studitae discipulum epistola Anatolii etiamnunc servata probarent, quod si recte adnotatum est, non video, quomodo Anatolii στιχηρὰ in cod. D ἀπὸ τῶν παλαιῶν inscribi potuerint, nisi forte ea quae priore loco scripta sunt στιχηρὰ non ab Ioanne Damasceno, sed ab alio quodam recentiore poeta composita esse statuas.

Ἀνδρέας Κρήτης Damasci natus Hierosolymitani cognomen sortitus est, quod iuvenis patriarchae Hierosolymitano ab epistulis fuit, Cretensis, quod provecta aetate sub finem septimi saeculi Cretae insulae archiepiscopus factus est. Doctrinae autem copia et morum integritate ita excelluit, ut inter sanctos patres ecclesiae reciperetur eiusque memoria non solum eo, quo vita defunctus est, die (4. Iul.), sed etiam aliis temporibus (vide troparia in Andreae honorem scripta in Triod. p. 84 et 260) in honore haberetur. Quamquam autem permultos libros conscripsisse fertur, tamen praeter aliquot orationes, una cum Amphilochii et Methodii operibus a Cambefisio Parisiis a. 1644 editas, nihil novimus quam idiomelon et canonum haud exiguum numerum. Inter canones celeberrimus est magnus canon (ὁ μέγας κανών), cuius amplitudo apud Graecos in proverbium abiit. Is cum ex quatuor partibus et ducentis quinquaginta strophis constet, unam partem (τμῆμα) in hoc libro edere satis esse duximus; magis enim Andreas, quod primus canones scripsit, quam sententiarum lepore modorumve dulcedine magnum nomen nanctus est.

Ἀνδρέας Πυρός, quem rectius Πυρρὸς sive Πυρσὸς scribi putamus, quo tempore vel in qua regione vixerit, equidem explorare non potui. Ex octo idiomelis, quae in Menaeis sub eius nomine feruntur, suavissimas laudes

apostolorum Petri et Pauli dignas esse existimavimus, quas in hanc anthologiam reciperemus.

Βυζάντιος et Βύζας nescio an eiusdem poetae nomina fuerint. Sed neque hoc neque illud nomen viam mihi aperuit certius aliquid de vita melodi, cuius minora tantum carmina exstant, cognoscendi; quamquam ex eo, quod canones eius nulli feruntur, concludere possis vetustioribus eum potius quam recentioribus vatibus esse adnumerandum.

Γερμανὸς nobili gente prognatus fuit, quae cum ab imperatore Heraclio crudelissime vexaretur, pater trucidatus et filius eviratus est. Inde ordini clericorum adscriptus totam vitam rerum sacrarum studio consecravit. Mox ad summa honorum fastigia evectus primum Cyzici episcopus, deinde Constantinopolis patriarcha factus est. Tum temporis christiani imperii byzantini luctuosis litibus de imaginum veneratione inter se dissidebant, nec minimas partes in illis rerum turbis Germanus patriarcha sustinuit. Cum enim acerrimus vindex imaginum Christi et Sanctorum exstitisset, ab imperatore Leonte Isaurico (717—741), qui theologorum altercationibus auctoritatem publicam pessimo exemplo interponens imagines removendas delendasque censebat, coactus est, ut dignitate patriarchali sese abdicaret et privatae vitae otium amplecteretur; conf. Cedrenum p. 456 sq. Eo maiorem apud posteros laudem et famam consecutus etiamnunc die XII mensis Maii inter sanctos patres ecclesiae colitur. De ecclesiastica autem musica idem magnopere meritus est, quod non solum imaginum signorumque splendore ecclesias decorasse, sed etiam carminum modulationumque dulcedine vigiliarum asperitatem mitigasse dicitur; conf. Synaxaria 12. Maii: πανηγυρικοῖς καὶ ἐγκωμιαστικοῖς λόγοις τὰς τῶν πιστῶν ἐκκλησίας ἐφαίδρυνε καὶ μελῳδίαις καὶ ᾄσμασι τὸ ἐν ταῖς ἀγρυπνίαις σκληρόν τε καὶ σύντονον κατέθελξεν. Huius rei documenta multa idiomela exstant, quae altum animum certaminumque ardorem spirant. Quatuor autem canones (2. 13. Sept. 17. Ian. 16. Aug.), quibus Germani nomen praefixum est, ab recentiore aliquo poeta cognomine compositos esse iudico, quandoquidem alienis hirmis utuntur, id quod et recentioris aetatis et tenuioris ingenii est.

Ἐφραὶμ cognomine Καρίας a notissimo melodo Syrorum distinguitur et Cariae aut civis aut episcopus fuisse declaratur. Praeterea nihil certi de eius vita memoriae proditum novimus, ex eo autem, quod nulli canones eius, sed idiomela tantum exstant, octavo saeculo, quo maxime idiomelorum studia fervebant, eum vixisse probabiliter coniicias.

Θεόδωρος (759—826), qui Στουδίτης, quia Studii, monasterii Constantinopolitani notissimi, antistes fuit, cognominatur, frater maior Iosephi episcopi Thessalonicensis erat et similiter atque ille ab impiis regibus Constantino Copronymo et Leonte Armenio (813—820) verberibus et omni iniuriarum genere vexatus est. Eo maiorem constantiae et virtutis famam consecutus etiamnunc die XI mensis Novembris pia memoria colitur. Rituum

autem frequentiam et dignitatem ita amplificavit, ut, cum Cosmas et Ioannes tantum diei dominicae et praecipuarum solemnitatum carmina instituissent, ipse cum fratre Iosepho minorum quoque dierum triodia et idiomela pangeret, quae primum monasterio Studii destinata, postea in omnibus imperii partibus comprobata et recepta sunt.

Θεοφάνης ὁ Γραπτὸς cum Ioanne Damasceno et Cosma Hierosolymitano cantum ecclesiasticum instituisse atque ordinasse dicitur a Cedreno p. 456 D: ὁ ὅσιος Ἰωάννης καὶ μελῳδὸς ὠνομάσθη, μετὰ Κόσμα τοῦ ἐπισκόπου τοῦ Μαϊουμᾶ καὶ Θεοφάνους ἀδελφοῦ Θεοδώρου τῶν Γραπτῶν διὰ τὸ αὐτοὺς μελῳδῆσαι τὰ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῶν Χριστιανῶν τετυπωμένα ψάλλεσθαι. Omnes tres melodi cum Hierosolymis maiorem vitae partem agerent, veri simile fit ritus sacros, quales in sacra urbe primum instituti sunt, postea ab aliis ecclesiis comprobatos et receptos esse. Theophanes autem cum paene centum annis post praeclarissimos antecessores, Ioannem et Cosmam, floreret, turbarum, quae de imaginibus sacris motae erant, fluctibus iactatus est. Constantinopolin enim cum Theodoro fratre missum, ut causam imaginum defenderent, Theophilus rex (829—842) crudelissime in vincula coniecit eorumque frontibus impios versus iambicos inuri iussit, unde Γραπτῶν cognomen obtinuerunt. Postquam autem anno 842 synodo Constantinopolitana lites compositae sunt, Theophanes Methodii patriarchae favore Nicaeae metropolita factus summa quiete die XI mensis Octobris mortem obiit. In ecclesiasticis vero carminibus maioribus minoribusque, quae plurima in Menaeorum et Triodii libros recepta sunt, alienis modulis usus sententiarum gravitate stilique elegantia insignem laudem merito tulit.

Ἰουστινιανὸν imperatorem (527—565) antiquissimum troparium, cuius quidem auctorem noverimus, Ὁ μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος (vide p. 52) composuisse Sophronii et Cedreni testimoniis supra p. XXXIV a nobis allatis constat; neque defuisse Germanus in Commentario liturgico (vide Goar Euchologion p. 107[b]) dicit, qui carmen venerandae vetustatis a Iosepho et Nicodemo, cum Christi corpus sepelirent, cantatum esse fabularentur.

Ἰωάννης Δαμασκηνὸς cum Cosma Hierosolymitano laudem sacrae poesis provectae participat eumque multiplicis doctrinae copia superat. Eius vitae et studiorum pleniorem notitiam vita, a Lesquieno Ioannis operum editioni praemissa, suppeditat, meliorem Synaxariorum auctor, qui fabulosis narratiunculis minus captus tenebatur. Nobili igitur loco Damasci natus ab Cosma Siculo, quem pater ab Arabibus captum redemerat, una cum Cosma melodo institutus est. Iuvenis paterna domo relicta cum Cosma Hierosolyma perrexit et in coetum coenobii celeberrimi S. Sabae receptus est, quo in coenobio usque ad vītae finem presbyteri dignitate ornatus permansit. Industria autem eius intra parietes monasterii adeo non continebatur, ut orationibus libris carminibus acerrime pro integritate fidei christianae contra reges Leontem Isauricum (717—741) et Constantinum Copronymum (741—775), qui a partibus Iconoclastarum stabant, propugnaret (conf.

Cedrenum p. 456 C). Senex octogesimo quarto vel, ut alii tradunt, centesimo quarto aetatis anno quarto die mensis Decembris vita defunctus est, quo die ecclesia graeca eius laudes grata memoria prosequitur.

Ut veteres Graeci Pindarum et Aeschylum a Baccho, quo divinum eorum furorem significarent, ad carmina scribenda compulsos esse fabulabantur, sic Mariam virginem antistiti coenobii Sabaitici in somniis suadere visam esse narrant, ut iuvenem Ioannem suam musam laudi Christi consecrare iuberet. Eius admonitionibus obsecutus favore populi et ipsis turbis ecclesiae non mediocriter adiutus est. Tantum enim aberat, ut in psalmorum veterumque canticorum cantu etiamtum acquiescerent, ut ea quam maxime carmina desiderarent, quae christianis mysteriis et theologicorum placitis aperiendis confirmandisque inservirent. Cum Cosma igitur condiscipulo et contubernali Ioannes in dies dominicas et praecipuas solemnitates Christi domini et Mariae matris tot carmina piissima et dulcissima composuit, ut auctores musicae ecclesiasticae a suis gentilibus praedicarentur. Huius rei auctor locupletissimus Suidas lexicographus refert haec: Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνὸς, ὁ ἐπικληθεὶς Μανσοὺρ, ἀνὴρ καὶ αὐτὸς ἐλλογιμώτατος οὐδενὸς δεύτερος τῶν κατ᾽ αὐτὸν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων· συγγράμματα αὐτοῦ πάνυ πολλὰ καὶ μάλιστα φιλόσοφα, εἵς τε τὴν θείαν γραφὴν παράλληλοι κατ᾽ ἐκλογὴν καὶ οἱ ᾄσματικοὶ κανόνες ἰαμβικοί τε καὶ καταλογάδην· συνήκμαζε δ᾽ αὐτῷ καὶ Κοσμᾶς ὁ ἐξ Ἱεροσολύμων, ἀνὴρ εὐφυέστατος καὶ πνέων μουσικὴν ὅλως τὴν ἐναρμόνιον· οἱ γοῦν ᾄσματικοὶ κανόνες Ἰωάννου τε καὶ Κοσμᾶ σύγκριςιν οὐκ ἐδέξαντο οὐδὲ δέξαιντο ἄν, μέχρις ὁ καθ᾽ ἡμᾶς βίος περαιωθήσεται. Hoc autem cum testimonio conferre iuvat, quae Cedrenus loco supra iam laudato p. 456 D memoriae prodidit: Ὁ ὅσιος Ἰωάννης καὶ μελῳδὸς ὠνομάσθη μετὰ Κόσμα ἐπισκόπου τοῦ Μαϊουμᾶ καὶ Θεοφάνους ἀδελφοῦ Θεοδώρου τῶν Γραπτῶν διὰ τὸ αὐτοὺς μελῳδῆσαι τὰ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῶν Χριστιανῶν τετυπωμένα ψάλλεσθαι· ἦν γὰρ ὁ ἅγιος Ἰωάννης οὗτος τῷ βίῳ καὶ τῷ λόγῳ διδάσκαλος ἄριστος πάσης γνώσεως θείας τε καὶ ἀνθρωπίνης ἐμπεπλησμένος. Ab his duobus scriptoribus Ioannis et Cosmae laudes aequiparantur, sed nimius est in suo scriptore praedicando Ioannes patriarcha, qui in Vita Ioannis Damasceni c. 34 Cosmam quasi ministrum ac satellitem Ioannis fuisse dicit: οὗτος Κοσμᾶς τοῖς ἐν ᾄσμασι πνευματικοῖς πόνοις τὸν Ἰωάννην ἐμιμήσατο συνετῶς καὶ ὑπῆρε λιγυρὰς τῇ ἐκκλησίᾳ ἁρμονίας. Immo vero Cosmas adeo non imitator alieni operis exstitit, ut aequales homines ei primas deferre non dubitarent; qua de re vide testimonia in vita Cosmae infra allata. Quamquam Ioannis odarum modos multo magis placuisse inde patet, quod recentiores poetae Cosmae hirmis rarissime, Ioannis creberrime usi sunt.

Iam ut Ioannis de poesi ecclesiastica merita singillatim persequar, summam famam eo consecutus est, quod Octoechi libri, quo nullus canticorum liber magis apud Graecos pervulgatus est, maximam partem composuit. Ne enim omnis Octoechi, quod vulgo narrant, Ioannem auctorem dicam, canones triadici Metrophani et stichera multa Studitae et Anatolio diserte in meis

codicibus attributa prohibent. Tamen Ioannem non solum maiorem libri partem composuisse, sed etiam carmina secundum octo tonos, quos ἤχους Graeci dicunt, digessisse, ordine στιχηρῶν τῶν κατ' ἀλφάβητον, quae Ioannis nomen in fronte gerunt, manifesto demonstratur. Sic enim viginti horum carminum strophae per octo libri partes distributae sunt, ut eodem ordine, quo literae alphabeti, sese excipiant. Memoratu vero dignum est, quod vetustissimum Paracleticon, quod e codice Grottaferratae n. 15 Romae anno 1736 in lucem editum est, sola Ioannis carmina nullis aliis admixta teste Pitra Hymnogr. p. 59 continet. Praeterea praecipuarum solemnitatum ecclesiae canones Ioannes composuit, quorum nobilissimos, a Theodoro Prodromo et Gregorio Corinthio prolixis commentariis illustratos, in hanc quoque anthologiam p. 205—236 recepimus. Horum tres priores, quos iambicos Suidas loco laudato nominat, miro quodam artificiosae diligentiae lusu memorabiles sunt. Vere enim eos vincta oratione scriptos dixeris, siquidem triplici vinculo poeta ipse sese coercuit. Namque primum iambicos trimetros ita panxit, ut leges quantitatis non minus religiose quam veteres poetae graeci observaret. Deinde poetarum byzantinorum more, ut vocis flexus accentibus adiuvaret, non modo syllabas longos nusquam in duas breves solvit, sed etiam certis sedibus cuiusque versus accentuatas syllabas collocavit, cuius rei ut exemplum oculis subiiciam, en primi canonis primae odae primi et tertii versus schemata:

1. ⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ἔσωσε λαὸν θαυματουργῶν δεσπότης.
ἤνεγκε γαστὴρ ἡγιασμένη λόγον.
ἔδειξεν ἀστὴρ τὸν πρὸ ἡλίου λόγον.

3. ⏒ ⏓ ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
ἑκὼν δὲ τεχθεὶς ἐκ κόρης τρίβον βατήν.
μιγέντα μορφῇ τῇ βροτησίᾳ θεόν.
σαφῶς πενιχρὸν εἰς σπέος τὸν συμπαθῆ.

Denique literas initiales singulorum non tropariorum, sed versuum acrostichidis sententia coniunxit, quam, ut cumulum artificioso lusui adderet, duorum distichorum dactylicorum numeris inclusit: laboriosum mehercle et Byzantinorum argutiis dignum opus. Tantis autem angustiis non coercitus, sed paene vinctus non mirum est, quod non solum molestam hymnos pangendi artem dicebat (I, 118), sed etiam grammatices leges haud raro violabat, velut αἰγλῆντα φύσιν II, 107 πυρῶδες ἦχος III, 30 πνεῦμα . . . ὃν III, 60. Tam obscure vero elocutus est, ut Heracliti libros difficiliores ad interpungendum quam hos canones fuisse negem. Denique Ioannes praeter longos canones minora quoque carmina multa, quorum nonnulla hoc libro p. 117—121 edidimus, et Κανόνιον ἢ γραμματικὴν τῆς μουσικῆς conscripsit, saltem conscripsisse fertur. Hunc enim libellum de musica, quem Philoxenus in Lexico musices p. 113 commemorat, frustra in bibliothecis Monacensi et Vindobonensi quae-

sivi; eo enixius eos, quibus ampliores copias codicum byzantinorum adeundi facultas facta est, rogatos velim, ut e bibliothecarum tenebris hunc antiquissimum tractatum de musica in publicam lucem emittant.

Magnas turbas in genuinis carminibus Ioannis Damasceni segregandis cognomines Ioannes moverunt. Atque Ioannem quidem, cui Ἀρκλᾶ cognomen fuit, a Damasceno non diversum fuisse Barth. Cutlumusianus in Pentec. p. 5 probabiliter demonstravit. Monachi quoque cognomen non est, quod ab eodem Ioanne Damasceno alienum fuisse arbitremur, quandoquidem coenobii S. Sabae per maximam vitae partem sodalis fuit. Sed cum canones, qui Ἰωάννου μοναχοῦ nomine inscribuntur, alienis modulis utantur, neque in commentariis modo laudatis commemorentur, recentiorem aliquem poetam Damasceno cognominem significari veri simillimum est. Magnopere vero erravit Ang. Maius, qui canones, quos in honorem Chrysostomi, Basilii, Nicolai, Petri, Georgii, Blasii compositos e cod. Vaticano in Spicil. Rom. t. IX edidit, ab celeberrimo melodo Ioanne Damasceno compositos esse putavit. Illi enim omnes alienis modulis utuntur et acrostichide poetae ipsius nomen produnt, qui quidem mos ab Iosepho hymnographo profectus esse videtur. Sed ut recentiorem aliquem monachum illorum canonum auctorem esse certum atque exploratum est, ita quem ex magno Ioannum numero selegam, anceps haereo. Unum hoc adseverare possum in duobus codicibus Vindobonensibus n. 146 et 186 Ἰωάννου μοναχοῦ Μαυρόποδος, quem primum monachum, deinde metropolitam Euchaitarum medio undecimo saeculo fuisse Fabricius Bibl. graeca VIII, 627 docet, multos canones exstare; sed qui in cod. 186 canon in honorem S. Chrysostomi compositus exstat, diversus est a canone eiusdem Chrysostomi, quem Maius loco laudato edidit.

Ἰωσήφ. Nicephorus in iambis supra p. XLIII allatis duos Iosephos hymnorum scriptores recenset, quorum alterum Studiorum monasterii socium, alterum peregrinum dicit. Priorem intellego Iosephum fratrem minorem Theodori, Studiorum antistitis, cuius memoriae dies XIV mensis Iulii consecratus est. Is ob morum integritatem et doctrinae laudem Thessalonicensis ecclesiae archiepiscopus electus a Theophilo rege (829—842), qui in cultores imaginum saeviebat, in vincula coniectus et omni tormentorum genere adeo vexatus est, ut in carcere mortem occumberet. Alterius Iosephi, qui proprie ὑμνογράφος audit, memoriam die III mensis Aprilis ecclesia graeca concelebrat. Is peregrinus (ξένος) ab Nicephoro dictus esse dicitur, quod ex Sicilia insula oriundus erat et patria ab Arabibus capta et vastata cum matre et fratribus primum in Peloponnesum, deinde Thessalonicem confugit, qua in urbe monachorum disciplinae severissimae sese addixit. Mox ubi Iconoclastae in ecclesia byzantina superiores agere coeperunt, Romam petens a piratis deprensus in Cretam insulam avectus est. Multis aerumnis exantlatis Constantinopolin redux in summis rerum ecclesiasticarum tummultibus modo honoribus ornatus, modo exilio multatus est, donec turbis

Theodorae reginae ope et consilio compositis in summa quiete diem supremum obiit.

Iosephi nomine plus ducenti canones Menaeorum inscripti sunt, et ne ulla auctoris dubitatio subnasceretur, ipsius poetae nomine acrostichide prodito cautum est. Cum enim principes melodi Ioannes et Cosmas praecipuarum solemnitatum Christi et Mariae canones confecissent, Iosephus id potissimum egisse videtur, ut Sanctorum quoque memoriam canonibus celebraret. Praeterea Iosephus Ioannis Octoechum ita amplificavit, ut, cum ab illo diei dominicae canones et stichera octo tonorum confecta essent, ipse reliquorum quoque cuiusque hebdomadis dierum canones, triodia, stichera componeret. Sic sexies octoni sive quadraginta octo canones Iosephi, secundum octo tonos digesti, feruntur, quos in cod. Monacensi D et cod. Vindob. theol. n. 309 saec. XII exaratos repperi. *) Denique Triodion a Iosepho et Theodoro ita amplificatum est, ut triodiis magnae hebdomadis, a Cosma melodo compositis, reliquarum quoque hebdomadum τῆς Τεσσερακοστῆς triodia adiicerent, quod Nicephorus his verbis testatus est: Οἱ λοιποὶ τῶν πατέρων καὶ μᾶλλον τῶν ἄλλων Θεόδωρός τε καὶ Ἰωσὴφ οἱ Στουδῖται κατὰ ζῆλον τοῦ Κοσμᾶ κἀν ταῖς λοιπαῖς ἑβδομάσι τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης Τεσσερακοστῆς συνταξάμενοι τῇ αὐτῶν μονῇ τοῦ Στουδίου πρῶτον παραδεδώκασιν ἐπὶ μᾶλλον τὰς ᾠδὰς κατατάξαντες καὶ ῥυθμίσαντες.

Illud autem difficillimum est ad diiudicandum, utri Iosepho singula carmina ecclesiastica adsignanda sint. Atque triodia illa, de quibus modo disputavi, teste Nicephoro Iosephus, Theodori frater, composuit, quem eundem Octoechum modo exposito amplificasse veri simillimum est. Praeterea quinque canones Pentecostarii, cum nomen Ἰωσὴφ Θεσσαλονίκης in fronte inscriptum prae se ferant, Iosepho Studitae potius quam Iosepho Siculo tribuendos esse patet. Sed canonum Sanctorum in Menaea receptorum omnium Iosephum Siculum auctorem esse duxerim; is enim cum maiorem laudem poeticae facultatis meruisset, cognomine ὑμνογράφου ornatus est et Sanctorum laudes cecinisse in Synaxariis perhibetur. Ingenii autem ubertate et arte res multifariam variandi cum facile Cosmam et Ioannem superet, eo potissimum nomine principibus illis melodis inferior est, quod musicae artis parum gnarus modis ab illis inventis suorum hymnorum verba accommodavit.

Κασίαν monacham, quae eadem Κασιανὴ quoque nominari videtur, quatuor priorum odarum canonis magni Sabbati (vide notas p. 196) hirmos composuisse Theodorus Prodromus in commentariis illius canonis his verbis testatur: Ὁ παρὼν κανὼν ποίημα μέν ἐστιν ἄχρι τῆς πέμπτης ᾠδῆς Μάρκου ἐπισκόπου Ἰδροῦντος, ἐκ δὲ ταύτης ἄχρις ἐννάτης τοῦ μεγάλου ποιητοῦ Κοσμᾶ· ἀλλὰ πολὺ πρότερον, ὡς ἐξ ἀγράφου ἔχομεν παραδόσεως, γυνή τις τῶν Εὐπα-

*) Id tamen hac opportunitate oblata moneo in cod. Vindobonensi nunc extremis paginis rescissis octo canones ἤχου πλ. δ΄ desiderari.

τριδῶν σοφὴ καὶ παρθένος, Κασία τοὔνομα, τοῦ τε μέλους ἀρχηγὸς ἐχρημάτισε καὶ τὸν κανόνα συνεπεράνατο· οἱ δὲ ὕστερον τὸ μέλος μὲν ἀγιασάμενοι, ἀνάξιον δ' ὅμως κρίναντες γυναικείοις συμμίξαι λόγοις τὰ τοῦ ἥρωος ἐκείνου μουσουργήματα, τὸ μέλος παραδόντες τῷ Μάρκῳ καὶ τοὺς εἱρμοὺς ἐγχειρήσαντες τὴν πλοκὴν τῶν τροπαρίων τούτῳ μόνῳ (scribe μόνων τούτῳ) ἐπέτρεψαν. Ex hac narratiuncula, cui non est cur fidem derogemus, illud simul apparet, Casiam feminam ante aetatem Leontis Sapientis, quo rege Marcus episcopus Hidruntinus vixisse fertur, floruisse hirmosque composuisse. Eidem Casiae plura idiomela in Menaeis tribuuntur, quorum duo in hac anthologia p. 103 sq. edidimus. Ab hac Casia monacham Εἰκασίαν, quae Theophilo rege celebre coenobium condidisse suumque nomen indidisse narratur, differre Chrysanthus Θεωρητ. p. 37 monuit. Sed cum Εἰκασία et ipsa carmina composuisse dicatur et nomina Κασίας et Ἰκασίας in libris commutentur, priusquam de codicum antiquissimorum fide quaesitum sit, rem in medio relinquendam esse censeo.

Κοσμᾶς princeps melodorum graecorum octavo saeculo medio floruit, Ioannis Damasceni aemulus et contubernalis. Etenim a patre Ioannis melodi, cive nobilissimo Damasci, adoptatus una cum Ioanne filio educatus et institutus est. Magistro autem optimo et doctissimo utebantur Cosma maiore, quem ex Sicilia oriundum et ab Arabibus captum pater Ioannis redemerat redemptumque in libertatem vindicaverat. Cognomines hi Cosmae magnas turbas cum aliis tum Gerberto moverunt, qui in libro De cantu et musica sacra II, 9 Cosmam Siculum plurimorum, qui sub Cosmae nomine feruntur, canonum auctorem facit. At cum Cosmas ille maior magister, non melodus audiat, ne tu celeberrimo melodo suas laudes detrahas alienasque magistro tribuas. Illud quoque caveas, ne quod celeberrimi melodi graeci Cosmas et Ioannes ab Siculo magistro instituti esse feruntur, musicam artem ex Sicilia et Italia in orientem apportatam esse iudices. Etenim iam ante hos melodos Constantinopoli et Hierosolymis poesi ecclesiasticae operam navatam esse ipsa nomina Anthimi, Timoclis, Sophronii, Andreae, aliorum luculentissime demonstrant. Literarum igitur artiumque honestarum disciplina egregie instituti Cosmas iuvenis cum Ioanne condiscipulo Damasco relicta sacram urbem Hierosolymorum petierunt et coenobii celeberrimi S. Sabae consortes facti sunt. Huius coenobii in otio postquam literis et sacrae musae diu vacavit, anno septingentesimo quadragesimo tertio episcopus Maiumensis in agro Phoenicio electus est, a qua sede episcopali Maiumensis (Κοσμᾶς ὁ Μαϊουμᾶ), ut ab coenobio S. Sabae Ἱεροσολυμίτου vel Ἁγιοπολίτου cognomen accepit. Vita vero defuncti gratam memoriam ecclesia graeca etiamnunc die XIV mensis Octobris (non Novembris, ut Fabricius falso refert) conservat.

Magnum nomen Cosmas canonibus et triodiis in solemnitates praecipuas heriles compositis meruit. Praeter hos canones, quos ad unum omnes in hanc anthologiam recepimus, Gregorii theologi, quem unum maxime e poetis

et scriptoribus colebat et aemulabatur, canonem (24. Ian.) et nonnulla idiomela confecit modisque musicis instruxit. Diligentiae quoque, qua Gregorii libros perscrutatus est, documentum esse voluit Συναγωγὴν καὶ ἐξήγησιν ὧν ἐμνήσθη ἱστοριῶν ὁ θεῖος Γρηγόριος, nuper a Maio in Spicil. Rom. tomo II in lucem protractam. Eodem autem honore, quem Gregorii carminibus impertivit, mox ipsius canones digni existimati amplis commentariis illustrati sunt, de quibus vide nos supra p. LX disputantes et Fabricium Bibl. gr. IX, 742. Qua vero laude gravitas sententiarum et modorum dulcedo eius in coelum sublata sint, eius rei ex multis testimoniis unum Theodori Prodromi ex cod. Vind. theol. n. 18 fol. 1^{b} decerptum hic apponam: Παρατήρει μοι παρ' ὅλον δὴ τὸν παρόντα κανόνα (sc. τῶν Χριστουγέννων) τὸ πολυμαθὲς τοῦ μελῳδοῦ καὶ μεγαλοφυὲς καὶ περὶ τὸ δόγμα εὐσεβές, καὶ ὅπως ὡς ἐξ ἀεινάου πηγῆς καὶ ἀθολώτου τῶν θείων λόγων τοῦ τῆς θεολογίας ἐπωνύμου καὶ ἀρίστου διδασκάλου τῆς ὀρθοδοξίας Γρηγορίου τοῦ πάνυ τὰ πλείονα τῶν νοημάτων ἀναρρύεται, πρὸς δὲ καὶ πάσης σχεδὸν τῆς θείας γραφῆς ὑφαίνων ἡμῖν μελῳδίας ἱστὸν ὄντως θεοπρεποῦς ἢ μᾶλλον ἅρμα παναρμόνιον πλέκων τῷ ποικίλῳ τῶν ἱστοριῶν. Vereor tamen, ut multi tam effusas laudes hodie comprobent; typologiae enim argutiae, quibus cum in ceteris tum in primo canone mysteria crucis, baptismatis, aliarum rerum christianarum vetere Testamento iam significata esse docet, mysticum theologum magis quam divinum poetam decent; frigida vero quam maxime atque ieiuna sunt, quae poeta VIII, 7—10. 30—35 de duplici natura Christi et munere apostolis iniuncto praecipit. Denique doctoris theologiae placita subtiliter explicantis, quam poetae hominum animos commoventis et orationis luminibus delectantis partes agit.

Non celeberrimum melodum, sed cognominem quendam Cosmam monachum auctorem canonis sabbati Lazari (Τριῴδ. p. 327) esse iudico. Cum enim Cosmas Maiumensis, ut qui non hymnographi, sed melodi palmam tulerit, et verba et modos carminum fecerit, illius canonis odae omnes alienis modis accommodatae sunt. Idem valet de canone in honorem Davidis et Iacobi composito (26. Dec.), qui cum vulgo Κοσμᾶ inscribebatur, Barth. Cutlumusianus in suo codice Ἰωάννου μοναχοῦ inscriptum esse adnotavit. Hunc autem recentiorem Cosmam monachum eundem esse coniicio, quem Montfaucon Palaeogr. graeca p. 75 Κοσμᾶν μοναχὸν τοῦ Παναρέτου nominat et saeculi decimi quarti scriptorem dicit. Praeterea tertii et, ut videtur, vetustioris Cosmae carmina Pitra Hymnogr. p. 49 in Tropologio bibliothecae Corsinianae se invenisse testatur.

Κωνσταντίνου Πορφυρογεννήτου regis (913—959) insignia merita de literis antiquis conservandis nemo non novit. Minus pervulgatum est eundem patrem suum Leontem Sapientem aemulatum carmina quoque ecclesiastica, quae Ἐξαποστειλάρια ἀναστάσιμα dicuntur, composuisse. Ea quod undecim numero composuit, ideo fecisse videtur, quod Christus undecies suis discipulis post resurrectionem apparuisse dicitur. Quamquam autem

omnibus undecim carminibus totidem versus iidemque numeri sunt, tamen modi eorum ita inter se discrepant, ut alia alius toni indolem referant. Singulis Exaposteilariis theotokia in libris adhaerent, quae quod non ab Constantino rege ipso adiecta esse videntur, ex hac anthologia seclusimus. Cum enim in verbis Ἐξαποστειλαρίων referendis libri fere inter se conspirent, in theotokiis in diversissimas partes ita discedunt, ut alii alias strophas exhibeant. Quare veri simile esse ducimus crescente in dies Mariae cultu, cum his carminibus non aeque atque canonum odis singula theotokia subiuncta esse moleste ferrent, vario modo has lacunas expletas esse.

Λέων ὁ βασιλεὺς (886—912) Sapientis cognomen meruit, quod literarum artiumque studia promovebat et ipse carmina componere conatus est. Praeter odam deprecatoriam Anacreonticis versibus compositam et a nobis p. 48 sq. editam sex idiomela (12. Sept. 17. Oct. Triod. p. 207, 319, 320 Pent. 187) et undecim carmina matutina (Ἑωθινὰ ἀναστάσιμα) composuit. Primum carmen Anacreonteum, quod imaginem terrorum extremi iudicii vividis coloribus depingit, elatum quiddam et fervidum spirat; reliqua quamquam humi repunt, tamen ieiunis carminibus imperatorum Constantini Porphyrogennetae et Justiniani, quos collegas in poeticis studiis habuit, longe praestant.

Μάρκος, primum monachus, tum episcopus Hidruntinus, ab Leonte rege adductus esse narratur, ut Cosmae tetraodio magni sabbati quatuor odas praefigeret, quo plenus ac iustus canon efficeretur; conf. Cedrenum p. 599 D. Hanc provinciam ita administravit, ut Casiae monachae hirmis uteretur, de qua supra iam disseruimus.

Μεθόδιος magnum nomen in historia ecclesiae graecae meruit, quod a synodo Constantinopolitana anno 842, postquam fractis Iconoclastarum opibus Ioannes grammaticus patriarchatu se abdicavit, patriarcha Constantinopolitanus factus est, unde diem eius supremum (14. Iun.) una cum recordatione atrocium ecclesiae turbarum eius consilio et industria compositarum grata memoria etiamnunc prosequuntur. In Menaeorum libros duo idiomela patriarchae clarissimi recepta sunt, quorum unum in hoc libro p. 99 repetendum curavimus.

Ῥωμανὸς inter vetustiores melodos graecos principem locum obtinuit, postea autem, cum Sabaitarum et Studitarum canones maiore favore excepti essent, paulatim submoveri et in oblivionem venire coepit. Memoriam eius quod graeca ecclesia primo die mensis Octobris conservat, factum est, ut Synaxariis notitiam de eius vita quamvis exilem debeamus. Emesae igitur, in urbe Syriae, natus esse et Anastasio rege Constantinopolin venisse dicitur. Aegre autem ferimus, quod non accuratius definitum est, utrum Anastasium primum, qui 491—518, an Anastasium secundum, qui 713—719 regnavit, nos intellegere oporteat. Neque quidquam ad hanc litem dirimendam ecclesiis Constantinopolitanis ἐν τοῖς Κύρου et Βλαχερνῶν commemoratis lucramur, quandoquidem utraque iam ante Anasta-

sium primum condita est. Verum enim vero, si quinto saeculo poesin ecclesiasticam nasci et primos surculos emittere coepisse reputarimus, Romanum magnarum odarum auctorem Anastasio secundo potius quam Anastasio primo floruisse iudicabimus. Sed utram sententiam amplectimur, Romanum Emesanum confundere non licet cum Romano Italo, quem una cum Petro Hadrianus I precibus Caroli Magni adductus Roma in urbem Mediomatricorum (Metz) misisse fertur, ut Germanos arte musica instituerent; conf. K. Bartsch Die lateinischen Sequenzen des Mittelalters S. 2. Romanus igitur Emesanus, quem item atque Ioannem Damascenum ab Maria matre dei ad carmina pangenda in somniis stimulatum esse fabulantur, auctor plus mille contakiorum in Synaxariis esse perhibetur. Itaque iam Nicephori aetate accurata cognitio formae et ambitus carminum Romani plane oblitterata fuit. Namque nostra memoria Pitrae praeclara industria intellectum est, κοντάκια illa parva rudera esse e naufragio carminum Romani servata. In vetusto enim tropologio, quod in duobus codicibus, uno Mosquensi, altero Corsiniano servatum vir clarissimus quasi de inferis resuscitavit, plus viginti carmina eius longissima exstant, quorum singulae strophae excerptae sub nominibus κοντακίου et οἴκου in Menaeorum et Triodii libros receptae sunt. Sic eius psalmi, quem in hoc libro p. 131—138 typis exscribendum curavimus, prima et secunda strophae, quarum priorem, cum aliis atque reliquae strophae numeris composita sit, proodon rectius dixeris, inter sextam et septimam odam canonis in honorem apostolorum compositi (30. Iun.) mediae sub titulis κοντακίου et οἴκου intercalatae sunt. Atque similiter celeberrimum contakion Ἡ παρθένος σήμερον, quod p. 91 vulgavimus, magni psalmi Nativitatis Christi partem fuisse Pitra Hymnogr. p. 47 testatur. Hoc autem ita institutum esse coniicio, ut hymni, quem antiquitus totum cantabant, temporibus mutatis unam tantum vel duas strophas retinerent. Illud tamen vehementer dubito, num omnia contakia Romani ex maioribus carminibus excerpta sint. Certe contakia ipsa collecta exstant in duobus codicibus monasterii insulae Patmi, quos Guérin Déscription de l'île de Patmos his verbis recenset: n. 88 Ῥωμανοῦ τοῦ μελῳδοῦ κοντάκια ἀρχόμενα ἀπὸ τῆς η' Ὀκτωβρίου μέχρι τῆς η' Αὐγούστου — n. 217 Ῥωμανοῦ τοῦ μελῳδοῦ κοντάκια εἰς τοὺς ἁγίους. Celeberrimi melodi quod unum tantum psalmum in hac anthologia edidimus, erunt qui querantur et reprehendant. Neque hoc mea aut amicorum culpa factum est. Duo enim amici curam plures psalmos ex codice Corsiniano transcribendi mihique mittendi in se receperant, sed codicem inspiciendi excutiendique copiam frustra quaerebant, quia Pitra, qui totum Tropologion propediem in lucem se emissurum esse pollicebatur, suis manibus eum non dimisit.

Σέργιος, qui Heraclio rege (610—641) gubernacula ecclesiae Constantinopolitanae tractabat, ὕμνου ἀκαθίστου auctor in codice bibliothecae Marcianae, quo Barth. Cutlumusianus usus est, perhibetur. Hymnus celeberrimus, qui ab eo, quod stantes, non sedentes eum cantabant, ἀκάθιστος dictus

est, grata memoria praesidium Mariae matris dei prosequitur, quo adiuti Byzantini anno 630 Persas eorumque regem Chaganum, urbem Constantinopolin invadere molientes, muris deiecerunt, deiectosque fuderunt fugaruntque. Hoc auctor Synaxarii testatur, qui, postquam stragem Persarum rettulit, sic pergit: ὅ γε μὴν θεοφιλὴς Κωνσταντίνου λαὸς τῇ θεομήτορι τὴν χάριν ἀφοσιούμενος ὁλονύκτιον τὸν ὕμνον καὶ ἀκάθιστον αὐτῇ ἐμελῴδησαν, ὡς ὑπὲρ αὐτῶν ἀγρυπνησάσῃ καὶ ὑπερφυεῖ δυνάμει διαπραξαμένῃ τὸ κατὰ τῶν ἐχθρῶν τρόπαιον· ἐκ τότε οὖν εἰς μνείαν τοῦ τοσούτου καὶ ὑπερφυοῦς θαύματος ἡ ἐκκλησία τὴν τοιαύτην ἑορτὴν παρέλαβε τῇ μητρὶ ἀνατιθέναι τοῦ θεοῦ τῷ παρόντι καιρῷ, ὅτε καὶ τὸ τρόπαιον τῇ θεομήτορι γέγονεν· ἀκάθιστον δὲ ὠνόμασαν διὰ τὸ τότε οὕτω πρᾶξαι τὸν τῆς πόλεως κλῆρόν τε καὶ λαὸν ἅπαντα. Equidem Sergium hunc hymnum composuisse dixi, quamquam non ignoro Georgium Pisidam vulgo eius auctorem perhiberi. Sed haec opinio Quercii Florentini coniectura eaque futilissima nititur, qui in Appendice Corp. hist. byzant. Georgii limatum carmen de bello Avarico edidit, eiusque versus 502 sqq.

ᾄσωμεν οὖν σοι ὕμνον οὐκ ἐν τυμπάνοις
ἄρρυθμα βομβήσαντες, ἀλλ' ἐξ ὀργάνων
τῶν ἔνδον ἡμῖν μυστικῶς ἡρμοσμένων

ad hunc ὕμνον ἀκάθιστον referendos esse opinatus est. At nemo non videt incertissimam hanc coniecturam esse, qua fides codicis non modo everti, sed ne sollicitari quidem possit.

Cognominem Sergio patriarchae esse iudico auctorem complurium idiomelon (vide indicem secundum), qui quod Ἁγιοπολίτης i. e. Hierosolymitanus vocatur, hoc ipso cognomine a patriarcha Constantinopolitano distingui videtur.

Σωφρόνιος, quem anno 629 Hierosolymorum patriarcham factum esse Cedreni p. 420 B testimonio constat, cum aliis rebus tum poeticis studiis praeclare de ecclesia graeca meritus est. Neque enim solum carminibus Anacreonteis, quae supra p. XXVII iam commemoravi, laudes Christi, apostorum, martyrum cecinit, sed etiam idiomela, quae in solemnitatibus ecclesiae canerentur, composuit modisque musicis instruxit. Horum duo in Menaea (24. Dec. 6. Jan.), tertium in Horologium p. 134 receptum est. Praeterea in cod. Vind. theol. n. 136 fol. 223 σύνταξιν τῶν Ὡρῶν τῆς μεγάλης παρασκευῆς, quam vulgo Cyrillo tribuunt, a Sophronio archiepiscopo Hierosolymitano factum esse adnotatum est. Nuper vero Ang. Maius in Spicilegii Romani tomo quarto canonum quoque et triodiorum Sophronii magnum numerum ex codice Vaticano edidit. Sed virum clarissimum turpiter lapsum esse et omnia ista carmina non a Sophronio patriarcha, sed ab Iosepho hymnographo composita esse Paranicas meus acutissima et doctissima commentatione evicit, quae cum in commentariis Academiae bavaricae a. 1870 edita esset, etiam Paranicae libello 'Beiträge zur byzantinischen Literatur' inserta legitur.

Φώτιος patriarcha Constantinopolitanus († 891), cuius doctrinae copias omnes novimus et admiramur, poeticae quoque arti, quod minus pervulga-

tum esse video, operam impendit. In lucem autem edita sunt duo carmina Anacreontea rhythmica, primum a Maio Spic. Rom. t. IX vulgata, et duo idiomela in honorem Methodii patriarchae composita et tam in Menaea quam in hanc anthologiam p. 99 recepta.

LIBER SECUNDUS.

DE GENERIBUS CARMINUM ECCLESIASTICORUM.

Saepe iam in primo libro hirmi, troparii, contakii, aliis nominibus usus sum, quorum significatio vereor ne multos, qui literis byzantinis impensam operam non impenderint, fugiat atque lateat. Horum usui ut consulam, hoc altero libro varia carminum ecclesiasticorum genera eorumque nomina explicare mihi visum est, rem difficilem et obscuram, quoniam multorum nominum genuina significatio adeo rebus mutatis obscurata est, ut in origine eorum expedienda plerique caecutiant aut hariolentur. Licet enim ritus ecclesiae graecae minores vices quam latinae subierint, tamen nonnihil labis ex longa annorum serie traxerunt. Accedit quod primis medii aevi saeculis in carminibus eorumque partibus denominandis mysticas quasdam rationes secuti esse videntur, quas nobis, a nugis istis quam maxime abhorrentibus, enucleare vix contingat. Viam autem in hac parte illustranda mihi muniverant Arcudius in libris VII de concordia ecclesiae occidentalis et orientalis, Paris. 1626, Leo Allatius in commentatione de libris ecclesiasticis Graecorum, Paris. 1646, Goar in Euchologio sive Rituali Graecorum, Venet. 1730, Du Cange in Glossario ad scriptores mediae et infimae Graecitatis, Lugd. 1688; Philoxeni quoque Λεξικὸν τῆς ἑλληνικῆς ἐκκλησιαστικῆς μουσικῆς, cuius primum fasciculum vidi, ut non sine fructu, ita cum summa cautione consului. Ipse vero quaestiones gravissimas de canone eiusque partibus peculiari dissertatione (ex Commentariis Academiae bavaricae a. 1870 t. II separatim edita in meo libello Beiträge zur kirchlichen Literatur der Byzantiner) adhibitis Zonarae commentariis de canonibus anastasimis Octoechi illustravi, ad quem librum delego, si quis accuratius rem cognoscere et examinare velit.

Priusquam autem ad nomina carminum explicanda me accingam, de officiis divinis ecclesiae graecae, quibus carmina intexebantur, pauca mihi praemonenda sunt. Constitutionibus igitur apostolicis, quas quarto saeculo conscriptas esse constat, christiani sexies in quoque die preces fundere iubentur: tempore matutino, hora tertia, hora sexta, hora nona, vesperi, gallicinio (vide Const. ap. VIII, 33: εὐχὰς ἐπιτελεῖτε ὄρθρου καὶ τρίτῃ ὥρᾳ καὶ ἕκτῃ καὶ ἐννάτῃ καὶ ἑσπέρᾳ καὶ ἀλεκτοροφωνίᾳ), quarum precum institutio paulo post ita amplificata et mutata est, ut vesperi ἀπόδειπνον adiiceretur et preces gallicinii ampliatae sub nomine τοῦ μεσονυκτικοῦ primo loco pone-

rentur. Sed cum omnibus his temporibus in ecclesiis congregari nimis molestum esset, iisdem Constitutionibus provisum est, ut duae preces praecipuae, vespertinae et matutinae, in ecclesiis maiore cum cura et studio fierent (vide II, 36: τῆς Χριστοῦ ἐκκλησίας μὴ ἀπολείπου, ὀρθρίζων εἰς αὐτὴν πρὸ παντὸς ἔργου, καὶ πάλιν ἑσπέρας ἁπάντα, εὐχαριστῶν τῷ θεῷ ὑπὲρ ὧν σοι τὴν ζωὴν κεχάρισται; conf. II, 59). Vespertinis vero matutina officia splendore atque dignitate eminebant, praesertim postquam precibus psalmisque matutinis sacrificium divinum (λειτουργία) additum et Chrysostomi Basiliique praeceptis ordinatum est. His cum officiis, matutinis et vespertinis, in graeca et latina ecclesia usque ad nostram memoriam conservatis, omnis christianae poesis et initia et incrementa arctissime cohaerent. Etenim iam antiquissimis temporibus cum precibus et lectione sacrae scripturae cantum psalmorum coniunctum fuisse Constitutionum apost. (II 59) testimonio constat: ἑκάστης ἡμέρας συναθροίζεσθε ὄρθρου καὶ ἑσπέρας ψάλλοντες καὶ προσευχόμενοι ἐν τοῖς κυριακοῖς, ὄρθρου μὲν λέγοντες ψαλμὸν τὸν ξβ΄, ἑσπέρας δὲ τὸν ρμ΄, quo cum loco conferas II, 57: ἀνὰ δύο λεγομένων ἀναγνωσμάτων ἕτερός τις τοῦ Δαβὶδ ψαλλέτω ὕμνους καὶ ὁ λαὸς τὰ ἀκροστίχια ὑποψαλλέτω. Psalmorum autem a temporibus, quibus recitabantur, alterum ὀρθρινόν, alterum ἐπιλύχνιον vocabant; conf. Const. ap. VIII, 34, 37. Postea autem amplificato divini cultus splendore et studio versus faciendi excitato alios psalmos addere et psalmis canticisque sacris novicia troparia intexere coeperunt. Quomodo vero officia matutina et vespertina paulatim aucta et constituta sint exponere neque huius loci neque mei muneris est; unum hoc moneo, sexto iam saeculo, id quod ex celeberrimo illo trium abbatum colloquio (vide p. XXX) colligitur, officia illa fere eodem modo, quo nostra memoria, ordinata et disposita fuisse.

Atque nunc quidem matutina officia (ἀκολουθία τοῦ ὄρθρου), ut praecipuas eorum partes recenseam, ab hexapsalmo sive psalmis 3, 37, 62, 87, 102, 142 legendis initium faciunt, quorum psalmorum sexagesimus secundus, iam antiquissimis temporibus mane recitari solitus, ὀρθρινὸς cognominatus est. Post hexapsalmi lectionem variis precibus et cantu troparii Θεὸς κύριος interiectis versus aliquot psalmorum alternis vicibus recitant, quam recitandi rationem στιχολογίας dicunt. Atque antiquitus versus omnium psalmorum, in tres partes (στάσεις) divisorum, recitari solitos esse colloquio trium abbatum docemur; nunc paucos tantum versus recitant, sed tripertita divisione servata post unam quamque στιχολογίαν troparium intercinunt. Deinceps versibus gradualibus (ἀναβαθμοί) cantatis et evangelio lecto eam officii partem peragere incipiunt, quae plurimum valuit ad poesin ecclesiasticam promovendam. Cum enim antiquitus ipsa novem cantica sacra in hac parte cantassent, inde ab octavo saeculo veteribus canticis parem numerum noviciarum odarum, quas canonis nomine comprehendunt, subiungere coeperunt. Canone peracto et pusillis tropariis, quae Φωταγωγικὰ et Ἐξαποστειλάρια dicunt, adiectis iterum ad psalmorum recitationem reversi psalmos 148, 149, 150, quos a verbo αἰνεῖτε saepius repetito αἴνους nuncupant, ita recitant, ut quatuor

plurave troparia intertexant. Denique tropario, quod Ἑωθινὸν appellant, et magna doxologia cantatis finem faciunt matutinorum officiorum (ὄρθρου) et λειτουργίαν sive missam subiungunt. Huius autem partes enarrare eo magis supersedere possum, quo minorem locum verba a Chrysostomo et Basilio Magno instituta et usque ad hunc diem religiosissime servata carminibus novis interserendis dederunt.

Vespertini autem officii (ἀκολουθίας τοῦ ἑσπερινοῦ ἢ ἐπιλυχνικοῦ) breviores duae partes sunt. Atque in priore parte postquam anagnosta psalmum paroemiarum sive centesimum tertium legit, psalmum CXI Κύριε ἐκέκραξα, qui in Const. apost. VIII, 34 (conf. II, 59) ψαλμὸς ἐπιλύχνιος audit, modulata voce canunt. Huius psalmi ultimis versibus iam sexto saeculo novicia troparia intertexere coeperunt, quae cum versibus (στίχοι) adhaererent, versiculos (στιχηρὰ) appellabant; et tum quidem temporis psalmis vetustissimum hymnum Φῶς ἱλαρὸν et preces Καταξίωσον subiungentes finem officii vespertini faciebant. Postea autem institutum est, ut post illas preces plures versus legerentur singulisque versibus subiuncta τροπάρια ἀπόστιχα canerentur, denique sub finem officii verba Symeonis senis Νῦν ἀπολύεις uno alterove tropario adiecto recitarentur.

Haec potissima officia ecclesiae graecae sunt, quae melodis byzantinis largam copiam troparia et longiora carmina componendi fecerunt. Neque tamen omni cantus carminumque decore reliqua officia carebant, ut baptismatis, communionis (μεταλήψεως), horarum, exequiarum (ἀκολουθίας τοῦ ἐξοδιαστικοῦ), alia. Sic Sophronius Hierosolymitanus egregia quaedam troparia horarum officiis inseruit, Anastasius praeclarum cantum exequiarum composuit, communionis et funerum canones alii fecerunt.

Amplissimus vero campus poesi christianae singulis hebdomadis diebus memoriae praecipuarum partium vitae Christi consecratis et solemnitatibus herilibus et Sanctorum institutis aperiebatur. Atque Constitutionibus apostolicis VIII, 32 iam praeceptum est, ut sabbato quoque dei omnium rerum creatoris, dominica resurrectionis Christi memoria celebraretur: ἐργαζέσθωσαν οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας, σάββατον δὲ καὶ κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας· τὸ μὲν γὰρ σάββατον εἴπομεν δημιουργίας λόγον ἔχειν, τὴν δὲ κυριακὴν ἀναστάσεως. Praeterea iisdem temporibus totam magnam hebdomadem, qua Christus capitis damnatus cruci affixus est, diem paschalem, quo de inferis resurrexit, pentecosten, qua apostolis discipulisque sanctum spiritum demisit, nec non natalicia (γενεθλίων ἑορτήν), assumptionem (ἀνάληψιν), baptisma (θεοφανείων ἑορτήν) Christi pie recolebant. Quid? quod apostolorum quoque et Stephani protomartyris dies celebrare christiani apostolicis illis constitutionibus iubentur? Insequentibus vero saeculis Mariae quoque et martyrum sanctorumque, qui pro fide christiana atrocissimos cruciatus sustinuerant aut sancta morum integritate eminuerant, laudes grata memoria prosequebantur, unde solemnitatum ecclesiae numerus adeo succrevit, ut nullus fere dies suo patrono careret, multi plu-

rium Sanctorum memoriam conservarent. Melodi autem christiani in eo elaboraverunt, ut sua cuique diei festo troparia et canones suppeterent. Atque primum quidem diei dominicae et praecipuarum solemnitatum herilium officia instituerunt, postea autem ad profestos dies hebdomadis et minores solemnitates annuas delapsi paene innumerabilia carmina ecclesiastica procuderunt, laudabili illi quidem studio, eo tamen nomine reprehendendi, quod prolixos canones quam brevia troparia facere malebant, quo fieri non potuit, quin easdem res iterum iterumque recoquerent verborumque inanem strepitum sectarentur.

Divinorum officiorum ecclesiae graecae partibus succincta oratione enarratis viam mihi patefeci ad singula carminum genera illustranda. Quoniam autem initia et incrementa poesis ecclesiasticae iam priore libro adumbravimus, rem ita pertractabimus, ut alphabeticum ordinem in nominibus explicandis sequar.

Ἀκολουθία cum a verbo τοῦ ἀκολουθεῖν descendat, proprie consequentiam quandam significat, quae addito casu genetivo vel nomine adiectivo accuratius definienda erat. Vulgo systema quoddam precum et carminum certo quodam ordine sese excipientium intellegebant, quo sensu ἀπηρτισμένη ἱερουργίας ἀκολουθία a Sophronio in Comm. liturg. c. I et ἀκολουθία ᾄσματικὴ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου in Triodio p. 170 dicta est. Paulatim autem genetivo omisso ipsi vocabulo ἀκολουθίας eandem vim ita assignabant, ut ἀκολουθίαν τοῦ ὄρθρου, ἀκολουθίαν ἑσπερινὴν, ἀκολουθίαν τῶν ὡρῶν et similia dicerent. Graecum vocabulum Latini medio aevo sequentiam interpretabantur, sed significationem, ut in peregrinis verbis usu venit, paulo detorquebant. Illi enim sequentias primum melismata intellegebant, quibus in missa post graduale extremam syllabam iubili alleluia protrahebant, deinde carmina, quae modulationis illius flexibus aptata erant; conf. F. Wolf Ueber die Lais Sequenzen und Leiche S. 30, K. Bartsch Die lateinischen Sequenzen des Mittelalters S. 1 ff. Cum igitur de fonte graeco latinum vocabulum procul dubio descenderit, Durandus in Rationali IV, 22 aliique errarunt, qui originem latinam scrutati sequentiam inde dictam esse opinabantur, quod iubili pneuma graduale et epistolam sequeretur.

Ἀναβαθμοὶ tria antiphona, ex binis psalmorum versibus et singulis tropariis constantia, dicuntur, quae in officiis matutinis (ἀκολουθίᾳ τοῦ ὄρθρου) recitationem psalmorum sequuntur. Nomen ἀναβαθμῶν illa antiphona sortita sunt, quod versus ex psalmis 119—133 sumpti sunt, qui psalmi in versione Alexandrina ᾠδαὶ τῶν ἀναβαθμῶν audiunt, quem quidem titulum inde obtinuerunt, quod apud Iudaeos in quindecim scalis, quae de mulierum in virorum vestibulum traducebant, cantati esse feruntur. Tria autem antiphona coniungebantur, ut similiter atque exclamatio ἅγιος ter repetita et tripertita stichologia officii matutini imaginem dei trinitatis referrent. In Octoecho cum octo ἀναβαθμοὶ octo tonorum (ἤχων) exstent, unius toni exexemplum in hac anthologia p. 53 sq. proponere satis habuimus. Latinum

graduale, quod huic graeco vocabulo respondet, et ipsum antiphoniam ex psalmorum versibus interiectisque tropis constantem significat, duplici tamen nomine a graeco differt, primum quod missae, non matutini officii partem efficit, deinde quod a scalis altaris, in quibus cantatur, dictum esse perhibetur; conf. F. Wolf Ueber die Lais S. 283 A. 108.

Ἀντίφωνον, quod, cum nomen adiectivum sit, plene ἀντίφωνον μέλος dicitur, cantum versuum cum aliorum canticorum tum psalmorum significat ita inter duos choros distributum, ut alter alteri invicem respondeat. Morem autem cantum inter duos choros distribuendi antiquissimum iam apud veteres Graecos pervulgatum fuisse ipsa nomina στροφὴ et ἀντιστροφὴ, ἐπίρρημα et ἀντεπίρρημα dilucide ostendunt. Therapeutas quoque in Aegypto similiter cantum instituisse Philo De vita contempl. p. 102 ed. Paris. a 1640 memoriae tradidit: δύο γίνονται τὸ πρῶτον χοροὶ, ὁ μὲν ἀνδρῶν, ὁ δὲ γυναικῶν· εἶτα ᾄδουσι πεποιημένους εἰς τὸν θεὸν ὕμνους πολλοῖς μέτροις καὶ μέλεσι, τῇ μὲν συνηχοῦντες, τῇ δὲ ἀντιφώνων ὕμνοις καὶ ἁρμονίαις ἐπιχειρονομοῦντες καὶ ἐπορχούμενοι καὶ ἐπιθειάζοντες. Christianis vero huius cantus generis probandi et recipiendi auctores Flavianum et Diodorum Antiochenses fuisse Theodoretus hist. eccl. II, 24 his verbis testatur: οὗτοι πρῶτοι διχῇ διελόντες τοὺς τῶν ψαλλόντων χοροὺς ἐκ παραδοχῆς ᾄδειν τὴν Δαϋιδικὴν ἐδίδαξαν μελῳδίαν· καὶ τοῦτο ἐν Ἀντιοχίᾳ πρῶτον ἀρξάμενον παντόσε διέδραμε καὶ κατέλαβε τῆς οἰκουμένης τέρματα· a quo testimonio Georgius apud Photium bibl. c. 96 p. 81 ed. Bekk. paululum discedit, qui in eadem urbe Antiochia, sed ab Ignatio Theophoro, quem imperatore Traiano vixisse ferunt, antiphonorum cantum primum institutum esse refert. Tantopere autem psalmorum hic cantus placuit, ut ab Antiochia primum per omnes ecclesias graecas et postea S. Ambrosii ope et consilio per latinas quoque disseminaretur. Medio vero aevo institutum est, ut non solum psalmorum versus, sed etiam novicia carmina, προσόμοια, στιχηρὰ, κανόνες, omne denique odarum genus a duobus choris per vices cantarentur, quem morem ecclesia graeca, utpote quae veterum institutorum multo quam latina tenacior fuerit, usque ad nostram memoriam tuetur atque observat. Cum igitur omnia carmina graeca antiphonice canantur, tamen proprie ἀντίφωνα dicuntur tria illa cantica, quae in liturgia minorem introitum (μικρὰν εἴσοδον) et epistolam praecedunt. Ea ex quaternis psalmorum versibus (στίχοις) et ephymnio post unumquemque versum interserendo constant. Psalmis autem ephymnia, quae Christi novaeque gratiae praeconia continent, subiunguntur, ut veteris et novi Testamenti conexus et vicissitudo significetur; qua de re Symeon Thessalonicensis 'De templo' haec praecipit: ψαλμικὰ μὲν προλέγοντες, συνάπτοντες δὲ καὶ ἐκ τῆς χάριτος (i. e. τῆς νέας χάριτος) τοὺς ὕμνους, διὰ μὲν τῶν ψαλμῶν προκηρυχθεῖσαν καὶ τοῖς πάλαι, οἷς καταγγέλλουσι, τὴν τοῦ θεοῦ σάρκωσιν καὶ διὰ τῶν ἐφυμνίων αὐτὴν παριστῶσι τὴν χάριν τετελεσμένην καὶ τὸν τοῦ θεοῦ υἱὸν σαρκωθέντα τε καὶ πάντα ὑπὲρ ἡμῶν ἐνεργήσαντα.

Haec igitur antiphona partem λειτουργίας sive missae efficiunt, neque

tamen eadem omnibus in diebus in usu sunt. Diebus enim dominicis psalmi CII et CV et μακαρισμοὶ cantantur, diebus profestis ea, quae p. 51 sq. edidimus antiphona, denique praecipuis solemnitatibus peculiaria quaedam antiphona, quorum unum exemplum p. 53 proposuimus. Priora antiphona longe vetustissima, quae iam Sophronius Hierosolymitanus in Comment. liturg. c. 12 commemorat et enarrat, quominus ad Chrysostomum auctorem tota referamus, alterius antiphoni ephymnium Ὁ μονογενὴς, quod imperatorem Iustinianum composuisse supra p. XXXII demonstravimus, prohibet. Cum autem antiphonis iam antiquissimis temporibus locus in λειτουργίᾳ sive missa concessus esset, non mirum est, quod Latini, qui etiamtum mutuo commercio cum Graecis coniuncti erant, antiphonorum cantum a graeca ecclesia mutuati sunt. Quid? quod similes quoque mutationum vices antiphona in utraque ecclesia subierunt? Cum enim Caelestinus papa in introitu missae, ut psalmi alternatim recitarentur, praecepisset, postea Gregorius papa, ne prolixa psalmorum recitatio taedium hominibus moveret, antiphonas ad introitum missae composuit, quo factum est, ut primus versus eius psalmi ad introitum cantaretur, qui olim totus recitari solitus erat; conf. Goar Euchologium p. 107[a].

Ἀπολυτίκιον breve troparium intellegitur, quod sub finem officii vespertini (τῶν ἑσπερινῶν) cantatur. Talia apolytikia octo, secundum octo tonos (ἤχους) ordinata, in Octoecho leguntur; praeterea in Menaeis et Triodio peculiaria praecipuarum solemnitatum ecclesiae apolytikia exstant, quorum delectum in hac anthologia p. 86 sqq. proposuimus. Nomen autem haec troparia non tam ἀπὸ ἀπολύσεως sive ab dimissione officii, ut Goar Euchol. p. 25 opinatur, originem duxisse videntur, quam a verbis Symeonis senis, quae, dum Christum infantem bracchiis tenet, laetabundus loquitur apud Lucam II, 29—32: Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου κ. τ. λ. Ipsa haec verba evangelii usque ad sextum saeculum sub finem vespertini officii recitata esse narratiuncula de colloquio trium abbatum supra p. XXX edita docemur. Postea autem illis Symeonis verbis troparium, quod ad diei, quo cantabatur, proprietatem relatum erat, adiectum et eodem nomine ἀπολυτίκιον nuncupatum est.

Ἀπόστιχα carmina alterius partis officii vespertini dicuntur; hanc enim alteram partem nomine στίχου a priore parte, quam Κύριε ἐκέκραξα appellant, vulgo distinguunt, quoniam prior pars a centesimo quadragesimo psalmo Κύριε ἐκέκραξα initium capit, in altera autem parte non pleni psalmi, sed singuli tantum versus (στίχοι) recitantur. Ἀπόστιχα carmina ipsa ex tribus, si minima, ex quinque, si maxima, tropariis constant, quibus omnibus singuli psalmorum versus coniuncti sunt. Ut exemplo rem illustrem, carmini archangelorum Michaelis et Gabrielis, quod p. 64 edidimus, in Menaeis titulus praefixus est: Εἰς τὸν στίχον στιχηρὰ προσόμοια; atque priori tropario versus Ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, alteri Εὐλόγει ἡ ψυχή μου τὸν κύριον, tertio Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι subiicitur.

Αὐτόμελον troparium appellatur, quod suos propriosque modos habet,

nec alius carminis modulatione utitur. Vulgo hoc nomine ea troparia insigniuntur, quorum ad exemplar στιχηρὰ προσόμοια composita sunt. Sic troparium antiquissimum Ἔδωκας σημείωσιν τοῖς φοβουμένοις σε, κύριε p. 68 automelon audit, quod quae sequuntur στιχηρὰ προσόμοια omnia iisdem et numeris rhythmicis et modis musicis utuntur.

Εἱρμὸν sive hirmum Zonaras in Commentariis canonum Ioannis (Beiträge S. 2) sic interpretatur: Ὁ μὲν οὖν εἱρμὸς ἁρμονία τίς ἐστι μέλους ἐν συνδέσει φωνῆς ἐνάρθρου τε καὶ σημαντικοῦ ὡρισμένῳ τινὶ μέτρῳ καὶ ποσῷ μεγέθους περιγραφομένη· ἥτις ἁρμονία προωρισμένη τε καὶ προεγνωσμένη προυπόκειται, πρὸς ἣν τὰ λεγόμενα τροπάρια ἀναφέρεται· οἱονεὶ γὰρ ἀρχὴ τῶν τροπαρίων ἐστὶ καὶ κανόνων, ἐπεὶ τὰ τροπάρια διὰ τοῦ εἱρμοῦ κανονίζεται καὶ ῥυθμίζεται, πρὸς αὐτὸν ὡς προϋπόδειγμα συντιθέμενα καὶ ἁρμοζόμενά τε καὶ μελῳδούμενα. Simillimam igitur vim atque significationem cum hoc vocabulum atque illud, de quo modo diximus, habeant, ita tamen inter se differunt, ut εἱρμὸς ad odas canonis, αὐτόμελον ad στιχηρὰ προσόμοια referatur. Sic Ioannis primi canonis iambici primae odae prima stropha Ἔσωσε λαόν p. 205 hirmus, secunda Ἤνεγκε γαστὴρ et tertia Ἔδειξεν ἀστὴρ troparia audiunt. Difficilius est ad dicendum, quae vocabuli originatio et primaria significatio fuerit. Atque similitudine latini vocabuli 'tractus', quo medio aevo iubili alleluia protractam modulationem significabant (conf. F. Wolf Die Lais S. 97), facile aliquis induci possit, ut graecum vocabulum et ipsum ab vocis flexibus in infinitum protractis simili modo impositum esse arbitretur, quo Aristoteles in Rhet. III, 9 εἰρομένην λέξιν, quae clausulam non habeat definivit et λέξει κατεστραμμένῃ contrariam ponit. Sed cum hirmi canonum antiquissimi adeo non protracti sint, ut singulas syllabas singulis vocis flexibus reddere soleant, equidem potius de sonis in unam periodum, tamquam in catenam coniunctis, cogitaverim. Atque haec etymologia vetere usu vocabuli ῥαψῳδοῦ fulcitur, quem scholiasta Pindari Nem. II, 2 scite his verbis exponit: τοὺς ῥαψῳδοὺς οἱ μὲν ῥαβδῳδοὺς ἐτυμολογοῦσι διὰ τὸ μετὰ ῥάβδου δηλονότι τὰ Ὁμήρου ἔπη διεξιέναι . . . . οἱ δέ φασιν, ὁπότε ῥαψῳδοῖεν, εἱρμῷ τινὶ καὶ ῥαφῇ παραπλήσιον ποιεῖν εἰς ἓν αὐτὴν ἄγοντας. Utram autem explicationem probaveris, hoc certum est vocem εἱρμοῦ antiquitus cantus modulationem significasse et postea ad carmina modulationi illi accommodata significanda translatam esse. Plura autem nosse si cuius intererit, adeat libellum meum Beiträge zur kirchlichen Literatur der Byzantiner S. 12 ff.

Ἐξαποστειλάριον troparium intellegitur, quod in matutinis officiis inter canonem et αἴνους sive psalmos 148—150 cantari solet. Nobilissima sunt undecim ἐξαποστειλάρια ἀναστάσιμα a Constantino Porphyrogenneta composita et in extrema Octoecho et Paracletice collocata; praeter haec praecipuarum solemnitatum propria ἐξαποστειλάρια in Menaeis exstant. Nominis origo obscura est; Nicephorus quidem eam inde repetendam esse censuit, quod haec carmina antiquissimo troparo Ἐξαπόστειλον τὸ φῶς σου, Χριστὲ ὁ θεὸς, καὶ φώτισον τὴν καρδίαν μου, προστασίαις τῶν ἀσωμάτων, καὶ σῶσόν με' suc-

cessisse viderentur. Sed cum incerta haec coniectura sit, et numerus undenarius carminum Constantini cum Christo undecies post resurrectionem suis apostolis et discipulis comparente cohaereat, equidem ab apostolis potius in omnes terras a domino nostro, postquam de inferis resurrexit, dimissis, ἀπὸ τοῦ ἐξαποστέλλεσθαι, carmina denominata esse duxerim. Neque tamen silentio praetermitto, hanc originationem ut Constantini carminum primis versibus (vide p. 110) commendari, ita reliquis exaposteilariis, in quibus de apostolis dimissis altum silentium est, si minus refutari, at tamen labefactari. Sed multo etiam minus aliae etymologiae mihi probantur, quas Goar in Euchologio p. 57 proposuit.

Ἑωθινὰ sive τροπάρια sive μέλη in officiis matutinis, id quod ipsum nomen declarat, post psalmos 148—150, qui αἶνοι sive laudes audiunt, cantantur. Celeberrima sunt octo ἑωθινὰ ἀναστάσιμα et ipsa a rege poeta, Leonte Sapiente, composita.

Θεοτοκίον, quod, cum θεοτόκιον dicere debeant, falso accentu vulgo θεοτοκίον dicunt, a nomine θεοτόκος derivatum troparium in honorem Mariae matris dei compositum significat. Mariae cultu inde ab octavo saeculo in dies magis aucto, innumera θεοτοκία fungorum instar orta sunt, quae, cum reliquae sui carminis parti magis adsui quam coniungi soleant et eiusdem non solum rerum, sed etiam verborum tenuitatis gyros usque ad taedium varient, inficetissimam partem literarum byzantinarum dicere non dubito. Atque primum quidem ab Ioanne Damasceno institutum est, ut in canonibus trinorum cuiusque odae tropariorum ultimum Mariae laudes contineat; Georgius vero (vide Triod. p. 171 et 9 Dec.) Malaxus (vide 4. Iun.) Philotheus (vide 26. Oct.) adeo haec theotokia primariam canonis partem esse voluerunt, ut eorum literis initialibus acrostichidem canonis efficerent. Neque solum canonis odis, sed etiam aliis carminibus theotokia intexuerunt, et si quae carmina iis carere animadverterant, inepta interpolatione supposuerunt; inepta dico interpolatione, quoniam pleraque theotokia, ut in Leontis odario p. 49, ipsis acrostichidis indiciis spuria atque suppositicia coarguuntur. Pauca tantum antiqua et bona θεοτοκία αὐτόμελα feruntur, ut Τῶν οὐρανίων ταγμάτων p. 64 et Ὦ τοῦ παραδόξου θαύματος p. 81; hoc postremum troparium σταυροθεοτοκίον audit, quod Mariam sub cruce filii stantem inducit.

Ἰδιόμελον carmen dicitur, quod non alienis modis utitur, sed suos et proprios modos habet. Hoc nomine cum ab automelo non differat, id discriminis inter duo vocabula intercedit, quod αὐτόμελον troparium est, cuius modis alia utuntur, ἰδιόμελον ut alienis modis non utitur, ita ne aliis quidem exemplum et protypum fuit. Praeterea pleraque idiomela ex pluribus strophis constant, quae cum omnes inter se dissimiles nec raro diversorum tonorum modis instructi sint, summam difficultatem dividentibus versus et cola parant. Omnia vero idiomela cum versibus (στίχοις) ita coniuncta cantantur, ut singulis versibus singulae strophae subiiciantur; hoc autem non ratione institutum, sed consuetudine factum usuque comprobatum esse videtur, quod

inaequalibus potius quam similibus strophis post versus psalmorum 148—150 et exclamationes Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι et Καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων uti consueverunt.

Κάθισμα. Hoc verbum inprimis animo meo obversabatur, cum carminum ecclesiasticorum nomina rebus mutatis obscurata esse dixi. Namque ab etymologia vocabuli, quod a verbo sedendi (τοῦ καθίζεσθαι) derivatum esse patet, profecti nihil ad eius vim cognoscendam lucramur. Καθίσματα enim vulgo troparia intelleguntur et quae post tertiam aut post tertiam et sextam quamque odam canonum intertexuntur, et quae in matutinis officiis psalmorum tripertitam recitationem (στιχολογίας α′ β′ γ′) claudunt, et quae in officio sabbati magnae hebdomadis post tres stationes encomiorum (Triod. p. 408) cantantur. Sic cathismata Τὸν τάφον σου σωτήρ (vide p. 54) post primam stichologiam diebus dominicis, Ἡ μνήμη σου ἔνδοξε (v. p. 58) post primam et Τὸν συμπαθέστατον (v. p. 57) post tertiam stichologiam die festo S. Demetrii, Σινδόνι καθαρᾷ καὶ ἀρώμασι θείοις (v. p. 55) post encomia magni sabbati cantantur. Sin autem cur illa carmina sessoria (καθίσματα) dicta sint quaesiveris, nomen ὕμνου ἀκαθίστου et στάσεις τῶν ψαλμῶν in rectam viam te deducent. Ut enim ὕμνον ἀκάθιστον inde denominatum esse novimus, quod stantes eum recitabant (vide p. LIII), sic κάθισματα illa troparia ideo dicta esse veri simile est, quod antiquitus sedentes ea cantabant. Hoc vero inprimis ex colloquio trium abbatum in monte Sina instituto (v. p. XXX) apparet, quod colloquium saepe numero iam ad obscuras rituum graecorum partes aperiendas adhibuimus. Tum enim temporis in nocturnis officiis psalmos in tres partes divisos*) ita recitabant, ut post unamquamque partem, quam στάσιν dicebant, alii epistolam legerent, alii τροπάριον ἀναπαύσιμον intercinerent. Quid inde consectaneum est? Nimirum homines, dum psalmos recitarent, stetisse, dum troparia canerent, sedentes requievisse, et troparia ipsa ab sedendo καθίσματα nominata esse. Haec autem vocabuli origo prorsus iam obscurata et obliterata est, siquidem nunc contrario modo institutum est, ut dum stichologias recitant, sedeant, dum canere incipiunt, e sedilibus exsurgant. Quae cum ita sint, in psalterio quoque psalmi Davidis non iam in tres στάσεις, sed in viginti καθίσματα vulgo dividuntur, qua de re conf. Leo Allatium de libris eccles. Graecae p. 55.

Κανών. De Scylla in Charybdim incidimus; a nomine enim obscurato ad nomen spissa caligine circumfusum devenimus. Atque primum omnium,

---

*) Hic mos psalmos dividendi iam in concilio Laodicensi commendatur canone XXXVII: περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐπισυνάπτειν ἐν ταῖς συνάξεσι τοὺς ψαλμούς, ἀλλὰ διὰ μέσου καθ' ἕκαστον ψαλμὸν γίνεσθαι ἀνάγνωσιν, quod praeceptum sic commentantur: τῶν ψαλμῶν ἀναγινωσκομένων λαοῦ ἀποκάμνοντος κάντεῦθεν ἀκηδιῶντος ἀπὸ τοῦ κόπου καὶ ἐξερχομένου τῆς ἐκκλησίας, ὥρισαν οἱ πατέρες μὴ συναπτῶς ἐν ταῖς συνάξεσιν ἐκφωνεῖσθαι τοὺς ψαλμούς, ἀλλὰ διὰ μέσου γίνεσθαι καὶ ἀναγνώσεις ἐπὶ τῷ ἀναπαύεσθαι τὸν λαὸν πρὸς μικρὸν καὶ πάλιν ψάλλειν.

ut de vi atque significatione vocabuli disseram, canonem amplum canticum novem vel octo odas complectens intellegunt, quae novem odae non tam sententiis in unum orbem coeuntibus quam tono (ἤχῳ) omnium communi coniunguntur atque copulantur. Cuius enim toni primae odae modulatio est, eiusdem omnium reliquarum sunt, unde usu venit, ut fronti canonis toni notatio praefigatur. Praeterea haud raro cum aliorum poetarum, tum Cosmae, Ioannis, Iosephi, Theophanis canonum partes acrostichide ita concatenantur, ut literae initiales omnium aut tropariorum aut versuum (vide Ioannis can. I. II. III) aut theotokiorum (v. p. LXII) unam sententiam efficiant vel seriem literarum alphabeti (ἀκροστιχίδα κατ' ἀλφάβητον) compleant. Nonarius vero odarum numerus cum novem canticis sacrorum librorum cohaeret, quibus novem canticis novem canonis odae contextae sunt. Novem autem illa cantica sunt Mariamis post rubrum mare feliciter traiectum (Exod. XV), Mosis populum Israelitarum supremo vitae die exhortantis (Deuteronom. 32), Annae post Samuelem filium natum exultantis (Reg. I, 2), Habbacuci Salvatoris futuram gratiam divinantis (Habb. 3), Iesaiae lucem iustitiae exorientem praedicantis (Ies. 26), Ionae tertio die a monstro marino exsputi (Ion. 3), trium puerorum dei auxilium implorantium (Dan. 3) eorundemque in medio igne conservatorum (ibid.), denique Mariae post laetum nuntium a Gabriele angelo acceptum et Zachariae post Ioannem filium prognatum (Luc. 1) laetantium et iubilantium. Haec igitur cantica, quae cum quinque aliis coniuncta in vetustissimo psalterio codicis Alexandrini exstant, in summo honore apud christianos inde a remotissimis temporibus habebantur, et cultu divino rite instituto et disposito primum in officio nocturno, postea matutino cantabantur. Atque sexto quidem saeculo hoc ita institutum fuisse, colloquio trium abbatum (v. p. XXX) docemur, qui novem has odas similiter atque psalmos in tres partes partiti post tertiam et sextam odam preces Πάτερ ἡμῶν et Κύριε ἐλέησον interposuerunt. Postquam autem mos versibus veteris Testamenti troparia novae gratiae (τῆς νέας χάριτος) adiiciendi increbuit, item novem illis canticis novem odae noviciae succrescere coeperunt. Atque primum, ut ex magno canone Andreae Cretensis colligimus, noviciae odae fere tot troparia, quot versus veteri cantico, erant, mox autem numerus stropharum ita diminutus est, ut extremis versibus canticorum solis nova troparia subiicerentur. Ioannis Damasceni vero auctoritate factum est, ut inde ab nono saeculo fere trinis strophis unaquaeque oda constaret. Harum prima in iis canonibus, qui suis, non alienis modis utebantur, εἱρμὸς, reliquae τροπάρια, ultima, cum matris dei laudes contineret, θεοτοκίον vel σταυροθεοτοκίον dictae sunt. Praeterea veterem morem secuti post tertiam et sextam odam mesodia, sive cathismata sive contakia, interseruerunt. Sententiae autem ipsae novem odarum, quo antiquiores canones sunt, eo magis veteribus canticis sese applicant, unde in Cosmae Hierosolymitani et Ioannis Damasceni canonibus prima oda rubri maris feliciter traiecti Aegyptiorumque in eo sepultorum, septima trium puerorum dei beneficia praedicantium mentionem fere faciunt. Numeri

quoque et modi musici, cum veterum canticorum discrimina prae se ferant, in tribus ultimis odis ad effusae laetitiae iubilum assurgere solent. Postquam autem conexus novem odarum canonis et novem veterum canticorum obliterari coeptus est, in rebus quoque praedicandis atque illustrandis poetae arctos illos fines egredi ausi sunt, id quod ex Theophanis, Iosephi, Metrophanis canonibus manifesto apparet.

Novem cum cantica sacra sint, novem quoque odas cuiusque canonis exspectamus; sed licet ultima oda nusquam non nona audiat, tamen longe plurimi canones ex octo, non novem odis ita constant, ut secunda oda interciderit. Novem enim odae paucis canonibus sunt, ut Andreae Cretensis magno canoni (vide p. 148), Iosephi canonibus κατανυκτικοῖς et ἀποστολικοῖς, denique duobus canonibus ab Ang. Maio Spic. Rom. IV, 181—4 editis et falso ad Sophronium auctorem relatis. Praeterea non numquam factum esse, ut secunda oda ab librariis eiiceretur, ex illustri exemplo Iosephi canonis de terrae motu p. 242 elucet. Literas enim initiales tropariorum si collegeris, acrostichidis Ὦ Χριστὲ τῆς γῆς τὸν κλόνον παῦσον τάχος, Ἰωσήφ partem lacuna ita haustam esse intelleges, ut syllabae τε τη desiderentur. Atque eiecta oda secunda hanc lacunam ortam esse, nemo, opinor, modo monitus sit, infitias ibit; sed quo illud tempore factum esset, equidem codicum subsidiis destitutus definire non potui. Ne hoc quidem exploratum est, utrum librariorum arbitrio volgarem formam canonis revocantium, an obscura quadam causa secunda oda abiecta sit. Habeo enim suspitionem quandam, quam virorum doctorum iudicio proponam. Canon ille Iosephi terrae motum, quo Leonte Isaurico rege anni 740 mensis Octobris die XXVI Constantinopolis urbs vehementer concussa est, in memoriam revocare fertur; cum autem Iosephus uterque multis annis post florere coepisset, illum canonem primum alium terrae motum indicasse et postea ad celeberrimum illum motum relatum esse veri simile est. Fac illum motum tempore τῆς Τεσσαρακοστῆς accidisse, et idoneam causam habebis, cur secunda oda primum addita et postea canone ad aliud tempus translato omissa sit.

Sed ut huius canonis Iosephi et fortasse aliorum quorundam secunda stropha non a poeta, sed a librario omissa sit, plurimi tamen et clarissimi canones secunda oda carent, et semper caruisse ipsa acrostichide probantur. Causam huius rei Zonaras a tristi natura secundi cantici sacri, qua Moses Israelitarum impietatem et impotentiam increpat, merito repetiisse videtur. Harum enim admonitionum et minarum severitas ut a tristitia et gravitate canonum τῆς Τεσσερακοστῆς non aliena erat, ita a laetitia et hilaritate reliquarum solemnitatum ecclesiae quam maxime abhorrebat.

Quo tempore haec canonum poesis floruerit et qui primi canones composuisse et dignitatem huius literarum generis auxisse ferantur, iam in priore libro exposuimus. Reliquum igitur est, ut rem obscurissimam, originem et primam significationem nominis aperiamus. Atque Zonaras quidem hanc quaestionem bene ita instituit, ut ad poetici canonis vim explicandam reli-

quas huius vocabuli significationes in auxilium advocaret. Grammatici igitur canones dicuntur, quibus dicendi norma declinandique verba regulae continentur, iuris vero ecclesiastici conciliorumque canones, quibus rerum sacrarum fideique christianae leges definitae sunt; hanc utramque autem notionem ab regula (κανών), qua fabri in lignis exaequandis utuntur, translatam esse apparet. Inde carmina quoque canonis nomen obtinuisse probabile est, quae certam quandam legem aut constituebant aut constitutam sequebantur. Sed quae tandem fuit illa lex? In proclivi quidem est de artis musicae legibus, quibus odarum modi illigati erant, cogitare, praesertim cum eam musicae partem, qua intervallorum (διαστημάτων) tonorumque (εἰδῶν vel τρόπων τῆς διὰ πασῶν) disciplina tradebatur, a veteribus Graecis τέχνην κανονικὴν appellatam esse M. Terentii Varronis apud A. Gellium Noct. att. XVI, 18 testimonio constet. Huc accedît, quod cantores musici in decimo septimo canone concilii Laodicensis (περὶ τοῦ μὴ δεῖν πλὴν τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων ἑτέρους τινὰς ψάλλειν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ) ab artis musicae peritia canonici dicti esse videntur. At musices legibus omnia carminum genera adstricta erant, neque intellegi potest, quo pacto quod omnium commune fuit, certo cuidam generi nomen dederit. Canonicorum vero cantorum nomen nescio an aliis et probabilioribus rationibus explicari possit. In codice enim Alexandrino versionis graecae veteris Testamenti psalmi, qui interdiu et qui noctu recitentur, κανόσι ἡμερινοῖς ψαλμῶν et κανόσι νυκτερινοῖς τῶν ψαλμῶν definiuntur. Delectus igitur psalmorum legitime constitutus cum ad similitudinem κανόνων τῶν ἐπικῶν, τῶν λυρικῶν, τῶν ῥητόρων, a veteribus grammaticis constitutorum, canon dictus esset, aptissime nomen κανονικῶν ψαλτῶν ad canones illos psalmorum referri videtur. Neque solum psalmorum, sed etiam aliorum canticorum et precum delectum canonem dictum esse ex colloquio trium abbatum apparet, in quo homines post coenam officia nocturna exordientes ἄρχεσθαι τοῦ κανόνος dicuntur. Quamvis igitur diserta testimonia afferre nequeam, tamen admodum veri simile est nonarium quoque numerum canticorum sacrorum canonem dictum esse. Cum enim, quo tempore codex Alexandrinus exarabatur, quatuordecim cantica sacra ferebantur, paulo post, quinto vel sexto saeculo, nonarius numerus odarum mysticis rationibus constitutus et definitus esse videtur; confer Zonaram p. 4: καὶ τοῖς ὕμνοις τούτοις τὸ τοῦ κανόνος ἐξείληπται ὄνομα, ὅτι ὡρισμένον καὶ τετυπωμένον τὸ μέτρον τοῦτό ἐστιν ἐν ἐννέα ᾠδαῖς συντελούμενον καὶ ταύτας μὴ ὑπερβαῖνον. Quod autem mysticis rationibus illum numerum definitum esse dixi, et ad ternarii numeri arcanam dignitatem ter repetitam et ad novem choros angelorum deum sine intermissione praedicantium (conf. Dionysium De coeli hierarchia c. VI et VII) spectat. Postquam autem novem cantica sacra canon dici coepta sunt, novicias quoque novem odas eodem nomine comprehendi par erat. Rei capita hoc loco attigi; qui plura cognoscere et Zonarae tractatum perlegere velit, libellum meum Beiträge S. 1—34 evolvat.

Καταβασία eandem rem, quam εἱρμὸς, significat, unde in Triodio p. 8 adnotatum est: καταβασίαν δὲ λέγομεν τοὺς εἱρμοὺς τῶν κανόνων. Nomen autem ortum esse videtur quo tempore troparia canonis legere, non cantare coeperunt, quod quotiescumque faciunt, post troparia cuiusque odae pronuntiata veterem hirmum modulata voce canunt. Atque eum quidem hirmum fere canunt, cuius numeris troparia quaeque utuntur; tamen hic illic, ut apud Pitram Hymnogr. LXXXV, institutum esse accepimus, ut alieni hirmi καταβασιῶν locum occuparent. Hos autem hirmos καταβασίας dicunt, quod, dum troparia leguntur, sedere, ubi hirmi cantari incipiuntur, de altis sedilibus descendere solent.

Κοντάκια, sive κονδάκια troparia dicuntur, quae in officiis matutinis post sextam canonis odam cantantur. Pleraque Romani melodi esse feruntur et primum facta erant, quae proodorum instar longo carmini, ex viginti quatuor pluribusve strophis (οἶκοι) constanti, praemitterentur, qua de re copiosius supra, cum de Romano melodo ageremus, disputavimus. Sed aliorum quoque poetarum contakia perhibentur, ut Sergii hymni acathisti proodus Τῇ ὑπερμάχῳ στρατηγῷ τὰ νικητήρια (v. p. 140) contakii vice die XXV mensis Martii fungitur. Nominis origo spissis tenebris involuta est. Atque vocabulum κόνταξ, a quo diminutivum κοντάκιον derivatum esse patet, cum vulgo iaculum significet, facile aliquis induci possit, ut proodos illas tamquam missilia e poetae mente emissa significari dicat, cuius interpretationis audaciam ne insolitam esse arguas, Pindarus sua carmina cum sagittis comparavit loco notissimo Ol. II 97: ἔπεχε νῦν σκοπῷ τόξον· ἄγε θυμὲ, τίνα βάλλομεν ἐκ μαλθακᾶς αὖτε φρενὸς εὐκλέας οἰστοὺς ἱέντες; Sed multo probabilior Arcudii explicatio est, qui in libro de concordia eccl. occ. et orient. p. 433 sq. κοντάκιον tenuem membranam rotundo bacillo, quasi iaculo, circumvolvi ab antiquis solitam interpretatur et hunc dicendi usum multorum exemplorum nube collecta et similitudine latini vocabuli 'breve' advocata illustrat et confirmat; conf. Du Cange in glossario graeca loca ab Arcudio indagata recudentem. Quodsi canone XVII concilii Laodicensis (vide p. LXV) cantores ut ἀπὸ διφθέρας cantarent admonitos esse reputaveris, veri simile fit κοντάκιον primum librum haud ita magnum, quo carmina antiquissima collecta exstabant, postea autem singula quoque carmina illius libri appellata esse.

Μακαρισμοὶ primi versus evangelii Matthaei V 3—12 'Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι κ. τ. λ.' a primo vocabulo in initio cuiusque versus repetito dicebantur. Posteaquam autem in liturgia dierum dominicarum et praecipuarum solemnitatum singulis versibus evangelii singula troparia subiungi coepta sunt, haec quoque troparia idem nomen sortita sunt.

Μεγαλυνάρια proodici versus dicuntur, qui in summis ecclesiae solemnitatibus nonae odae canonis praemittuntur. Hoc autem nomen ex eo obtinuerunt, quod nona oda a verbis Μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν κύριον exorditur. Talia megalynaria duo, gratissima numerorum simplicitate conspicua, in hanc anthologiam recepimus.

Οἶκοι longorum carminum singulae strophae vocantur, neque tamen omnium, sed Romani, Sergii, Anastasii, aliorum, qui septimo vel octavo saeculo, priusquam canonica poesis praevalere coepisset, floruerunt. Eodem nomine Anacreonteorum quoque carminum strophas medio aevo nuncupatas esse iam supra p. XXVI docuimus; utrum autem ecclesiastici poetae dicendi usum profanorum, an vice versa profani ecclesiasticorum secuti sint, in medio relinquendum esse censeo. Hoc tamen moneo Anacreonteorum summum auctorem, Sophronium, fere eodem, quo Romanum, tempore floruisse videri. Postquam autem Romani, Anastasii carmina displicere et canonibus cedere coeperunt, singulae tantum strophae cum suis proodis (κοντάκια) relictae sunt, in officiis matutinis post sextam odam canonis recitandae; quae singulae strophae, quamvis seiunctae a reliquis strophis eiusdem carminis, tamen nomen οἴκων retinuerunt. Originem unde haec denominatio duxerit, non minus obscurum est, quam cur duo longiores versus inter strophas Anacreonteorum interiecti κουκούλια dicta sint. Tamen si in re obscura suspitionem promere licet, οἴκους cellulas vel sacella magni aedificii interpretor, quorum similitudinem partes magni poematis referre satis illi quidem inficete significaverunt; haec autem originatio inde aliquid commendationis accipere videtur, quod graecum οἴκους Itali stanze interpretati sunt.

Προσόμοια, quae ὅμοια quoque audiunt, troparia dicuntur aliorum ita similia, ut iisdem numeris modisque utantur. Προσόμοια igitur ut automeli exemplar sequuntur, ita contraria sunt idiomelis, quae suis modulis utuntur nec aliis exemplo sunt. Suum autem locum habent in vespertinis officiis, ita tamen ut nec a matutinis officiis prorsus exclusa sint et pluribus troparis similibus haud raro dissimile quoddam (ἰδιόμελον) adiiciatur.

Στιχηρά. Huius nominis explicatio a primitivo nomine στίχου recte intellecto pendet. Στίχους igitur psalmorum canticorumque sacrorum versus aliosque ad illorum similitudinem factos, ut Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, vulgo intellegunt, qui dicendi usus non dubium est quin cum libris sacris στιχηδὸν exaratis cohaereat. Christianae autem poesis ea erant initia, ut veterum psalmorum versibus novicia ephymnia vel troparia succinerent, quorum cognationem cum versibus ita significabant, ut illos στίχους, haec στιχηρὰ appellarent. Sed ne nimia prolixitate cantus taedium hominibus moverent, non omnibus, sed ultimis tantum versibus psalmorum troparia succinere consueverunt, id quod verbis ἱστάναι στίχους γ′ vel ϵ′ vel ϛ′ in libris significatum est. Sic, ut exemplo rem illustrem, ante στιχηρὰ προσόμοια S. Georgii, quae p. 70 edidimus, in libris Menaeorum scriptum est: Εἰς τὸ κύριε ἐκέκραξα ἱστῶμεν στίχους ϛ′ καὶ ψάλλομεν στιχηρὰ προσόμοια τοῦ Ἁγίου, quibus verbis psalmi Κύριε ἐκέκραξα primos versus nulla intercapedine facta recitare, sex autem extremis versibus singula troparia subiicere cantores iubentur. Quodsi in aliis ecclesiis, id quod codicis Monacensis F testimonio constat, tres tantum strophae illius carminis in honorem S. Georgii compositi innotuerunt, aut tribus psalmi versibus ultimis troparia subiiciebant, aut,

quod non raro fieri accepimus, singulas strophas bis cantabant (ψάλλομεν στιχηρὰ τοῦ Ἁγίου, δευτεροῦντες αὐτά).

Τριῴδια, Τετραῴδια, Διῴδια minora cantica sunt, quae non nonis, ut canones, sed trinis aut quaternis aut binis odis constant. Cum enim in minoribus solemnitatibus ecclesiae omnia novem cantica sacra una cum noviciis odis cantari nimis prolixum esset, pluribus abiectis duo aut tria tantum relinquere coeperunt. Tantum autem aberat, ut prioribus canticis servatis posteriora semper abiicerent, ut fere primum, octavum, nonum canticum selegerent et triodiorum odas primam octavam nonam numerarent. Auctor huius carminum generis Cosmas Hierosolymitanus esse perhibetur, cuius exemplum Iosephus et Theodorus ita imitati sunt, ut cum magnae hebdomadis ille triodia fecisset, ipsi omnium hebdomadum τῆς Τεσσερακοστῆς triodia componerent, qua de re cod. Vindobon. theol. n. 296 fol. 1^{b} haec rettulit: πρῶτος δὴ πάντων τοῦτ' ἐπενόησε, τὰς τρεῖς φημὶ τῶν ᾠδῶν, εἰς τύπον, οἶμαι, τῆς ἁγίας καὶ ζωαρχικῆς τριάδος ὁ μουσικώτατος καὶ πνευματικὸς τῷ ὄντι νέος Ὀρφεύς, ὁ μέγας ποιητὴς Κοσμᾶς ἐν τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ τῶν παθῶν τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἑβδομάδι . . . ἐξ οὗπερ καὶ οἱ λοιποὶ τῶν πατέρων καὶ μᾶλλον τῶν ἄλλων Θεόδωρός τε καὶ Ἰωσὴφ οἱ Στουδῖται κατὰ ζῆλον ἐκείνου κἀν ταῖς λοιπαῖς ἑβδομάσι τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης Τεσσερακοστῆς συνταξάμενοι τῇ αὐτῶν μονῇ τοῦ Στουδίου πρώτως παραδεδώκασι; haec si vere relata sunt, triodiorum quae nomine Ἀνδρέου feruntur (vide indic. II) Andreas Cretae episcopus auctor esse non potest. Omnia, quae modo significavi, triodia partem libri Triodii efficiunt, qui ab illo carminum genere suum nomen sortitus est; praeterea pauca tantum triodia in Menaeis exstant, ut Nativitatis Christi (Dec. p. 138, 147, 153, 162) Epiphaniorum (Ian. p. 21) Transfigurationis (Aug. p. 26). Cosmae vero tetraodion magni Sabbati adiectis a Marco monacho quatuor odis plenus ac iustus canon factus esse fertur, qua de re conf. p. LI.

Τροπάριον diminutiva forma primitivi τρόπου est, ut ᾠδάριον ab ᾠδὴ derivatum esse constat. Τρόπον autem iam veteres Graeci modum quendam cantus vocabant, unde Pindarus dixit Ol. III, 4 νεοσίγαλον εὑρόντι τρόπον, et Ol. XIV, 17 Λυδίῳ γὰρ Ἀσώπιχον ἐν τρόπῳ ἀείδων ἔμολον· et cum fidibus lyrae aliter dispositis alii cantus modi fierent, varias harmonias τρόπους dicebant, ut Bacchius p. 12 ed. Meib.: Οἱ τοὺς τρεῖς τρόπους ᾄδοντες τίνας ᾄδουσι; λύδιον φρύγιον, δώριον· οἱ δὲ τοὺς ἑπτά, τίνας; μιξολύδιον, λύδιον, φρύγιον, δώριον, ὑπολύδιον, ὑποφρύγιον, ὑποδώριον. Latini quoque Graecorum usum dicendi secuti vulgo modulationem carminis modos vel modulos dicebant; medio vero aevo non solum modum Ottinc, modum Liebinc, alios (vide F. Wolf Die Lais S. 313) autumabant, sed etiam carmina ipsa secundum modum aliquem cantata tropos appellabant, ut auctor Vitae Anastasii apud Wolf p. 94: constituit interserta cantica decantare, quae Romani Festivas Laudes, Franci Tropos appellant. Apud Graecos quoque vocabulum tropi antiquitus in usu fuisse, titulus libri Τροπολογίου ostendit, quo de infra disputabo; vulgo autem

forma diminutivi τροπαρίου utebantur, quippe quae brevitati horum carminum magis accommodata esse videretur. Maxime vero haec derivatio analogia simillimi vocabuli idyllii firmatur. Nam et εἰδύλλιον diminutivum primitivi nominis εἶδους esse patet, et εἴδη primum harmoniae sive scalae genera (εἴδη τῆς διὰ πασῶν) dicta sunt; unde cum longa carmina Pindari modis musicis instructa εἴδη audiissent, εἰδύλλια brevia carmina Theocriti nuncupata esse in commentatione de nomine εἰδυλλίου (vide Verhandlungen der Philologenversammlung in Würzburg a. 1869 S. 49—58) demonstravimus. Quae cum ita sint, non est, quod Durandum Rat. div. off. IV, 114 tropum a conversione (ἀπὸ τοῦ τρέπεσθαι) dictum esse statuentem aut F. Wolfium germanicum vocabulum 'Kehre' conferentem longa oratione redarguamus. Ne strophae quidem vocabulum, quamvis a cognata stirpe descendat, cum troparii origine confundere licet; hoc enim ad cantorum sonos, illud ad saltationis motus spectat.

Ὑπακοή. Supra p. XVI iam docuimus Methodii parthenii eum versum, quem totus chorus virginum Theclae praecinenti succinebat, ὑπακοὴν dictum esse. Latini cum et ipsi hanc canendi rationem probassent, ephymnia a toto populo cantata responsoria vocabant, quod vocabulum ex graeco ὑπακοῆς expressum esse iam Gerbert De musica sacra I, 47 monuit. Cum autem haud raro universus populus psalmi, quem a praecantore modulate pronuntiatum acceperat, ipsam clausulam referret, Eusebius in hist. eccl. II, 17 responsoria illa ἀκροτελεύτια nominavit: ἑνὸς μετὰ ῥυθμοῦ κοσμίως ἐπιψάλλοντος οἱ λοιποὶ καθ' ἡσυχίαν ἀκροώμενοι τῶν ὕμνων τὰ ἀκροτελεύτια ἐξηχοῦσι· confer Const. apost. II, 57: ἕτερός τις τοῦ Δαβὶδ ψαλλέτω ὕμνους καὶ ὁ λαὸς τὰ ἀκροστίχια ὑποψαλλέτω. Neque quidquam hoc cantu responsorio frequentius antiquissimis temporibus fuit, quo instituto et ne homines rudes canendique imperiti turbas moverent et ne populi frequentia a cantu prorsus exclusa esse videretur, caverunt. Medio quoque aevo a Graecis hunc morem servatum esse cum alia tum Tropologion codicis Corsiniani demonstrat; compluribus enim ephymniis in calce illius codicis collectis titulum στιχολογίαν τῆς ὑπακοῆς praefixum esse Pitra Hymnogr. p. 50 testatur. Nostra autem memoria, ut cantus responsorii ratio obsolevit, ita nomen ὑπακοῆς servatum est. Ὑπακοὴ enim nunc troparium dicitur, quod in officiis matutinis post psalmum CXVIII Μακάριοι οἱ ἄμωμοι magis recitatur quam cantatur; praeterea illud quoque troparium, quod post tertiam odam canonis cantatum vulgo κάθισμα dicitur, hic illic ὑπακοὴ nuncupatur, ut in Menaeis Iun. p. 108, ubi recentissimus editor Barth. Cutlumusianus adnotat: Ἰστέον, ὅτι, ὅτε λέγεται ὑπακοή, κάθισμα οὐ λέγεται. Atque ipso hoc vocabulo probabile fit rem ita antiquitus institutam fuisse, ut psalmi et cantica sacra ab uno praecantore, troparia ab universo populo, praecantori quasi respondente, cantarentur. Sed rebus mutatis genuina quoque significatio nominis adeo obscurata est, ut in eo explicando Goar Euchol. p. 46 in omnia avia aberraret.

Postquam genera carminum ecclesiasticorum eorumque nomina exposuimus, indicem librorum, quibus carmina ecclesiastica comprehenduntur, adiiciamus.

Ψαλτήριον sc. βιβλίον psalmos et cantica sacra complectitur; vetustissimum in codice Alexandrino versionis graecae veteris Testamenti exstat, cuius saepe numero iam in hoc libro mentionem fecimus; praeter psalmos quatuordecim odae in eo scriptae sunt, novem dico cantica postea sola comprobata et προσευχὴ Ἐζεκίου, προσευχὴ Μανασσῆς, προσευχὴ Ἀζαρίου, προσευχὴ Συμεὼν, ὕμνος ἑωθινὸς, quorum canticorum tria priora aetate Alexandrina a doctis Iudaeis, ut locis veteris Testamenti, Paralip. II, 33 et Dan. 3, insererentur, composita esse perhibentur, quartum sub nomine ἀπολυτικίου in officia vespertina postea receptum est, quintum denique etiamnunc in ecclesia graeca variis temporibus cantatur. Recentiora autem psalteria, et quae manu scripta et quae prelo excusa sunt, Davidis psalmos in viginti καθίσματα divisa et novem cantica sacra comprehendunt.

Τροπολόγιον, si vocis originem spectes, liber tropos vel troparia complectens intellegitur, et eo tempore, quo canonum poesis nondum percrebuerat, tamquam supplementum psalterii fuisse videtur. Sed iam in antiquissimo tropologio, cuius notitiam Pitra Hymnogr. p. 49 ex codice Corsiniano hausit, praeter brevia troparia longa carmina Romani, Anastasii, aliorum secundum menses anni digesta exstabant. Postquam autem Ioannis Damasceni, Cosmae Hierosolymitani, Theophanis canonibus vetera illa carmina loco mota sunt, nomen ad Octoechum translatum esse codice Vindob. theol. n. 146 saec. XV docemur, cuius in fol. XXIV hic titulus scriptus est: Τροπολόγιον ἤτοι ὀκτώηχος περιέχουσα τά τε στιχηρὰ καθίσματα τῶν ὀκτὼ ἤχων, τοὺς μακαρισμοὺς, τὰ ἑωθινὰ καὶ λοιπὴν πᾶσαν ἀκολουθίαν συνήθως ψαλλομένην. Typis exscriptum Tropologion novi nullum.

Ὀκτώηχος sc. βίβλος nomen inde accepit, quod carmina secundum octo tonos (ἤχους) musicae ecclesiasticae disposita continet; neque tamen omnia carmina sacra, sed ea tantum, quae in officiis diei dominicae (τῆς κυριακῆς) cantantur, complectitur; hoc autem die quod ressurrectionis (ἀναστάσεως) Christi memoriam celebrant, canones et troparia Octoechi ἀναστάσιμα audiunt. Auctorem libri vulgo Ioannem Damascenum esse perhibent, sed carminibus Ioannis, cui dispositio libri secundum octo tonos debetur, postea Anatolii, Metrophanis, Constantini, Leontis canones et troparia addita esse supra p. XLV demonstravimus.

Παρακλητικὴ sc. βίβλοις et ipsa carmina secundum octo tonos digesta habet, sed praeter diei dominicae aliorum quoque dierum hebdomadis carmina continet. Amplificati libri auctores Theodorus et Iosephus Studitae in codicibus dicuntur, carmina autem ipsa dierum aliorum alia nomina sortita sunt; ut enim diei dominicae canones ἀναστάσιμοι, ita secundi et tertii diei κατανυκτικοὶ, quarti et sexti σταυρώσιμοι, quinti ἀποστολικοὶ, septimi μαρτυρικοὶ cognominantur. Nomen libri Leo Allatius de libr. eccl. Graec. p. 68

inde derivandum esse censet, quod omnia, quae in eo contineantur, eo maxime spectent, ut peccatorem consolentur. Nos in carminibus, quae ex Paracletico in hanc anthologiam recepimus, recognoscendis codice Monacensi bombycino n. 205 saec. XIII (D) usi sumus.

Μηναῖα annuarum solemnitatum carmina secundum menses (μῆνας) disposita complectuntur, a quibus mensibus nomen Μηναίων obtinuerunt; exorditur autem liber in duodecim partes divisus a mense Septembri, utpote qui in indictionibus Iustinianeis primum locum occupet. Carminibus succincta enarratio vitae Sanctorum et causarum cuiusque solemnitatis inserta est, quam ex Nicephori Callisti Συναξαρίων libro depromptam post sextam odam canonis cuiusque diei collocaverunt. Plenum Menaeorum codicem nec Monacensis nec Vindobonensis bibliothecae in amplissimis copiis indagare mihi contigit, sed pluribus codicibus, qui unius alteriusque mensis carmina amplectebantur, usus sum. Inter eos principem locum sibi vindicant duo codices Vindobonenses membranei optimae notae (G), qui, cum mensium Martii et Maii carmina contineant, amplissimi operis duodecim voluminum partes fuisse videntur. Praeterea bibliotheca Vindobonensis mihi suppeditavit cod. theolog. n. 33 bombycinum (F), qui carmina alterius partis anni sive mensium Martii, Aprilis, Maii, Iunii, Iulii, Augusti exarata et idiomela notis musicis instructa exhibet, cod. theol. n. 183 (J) et cod. theol. n. 186 (K), quorum prior Ianuarii Februariique, alter Novembris officia continet. Monacensis vero bibliotheca nuper duos codices Menaeorum membraneos n. 586 et 587 nacta est, qui mensis Decembris pleraque carmina neglegentissime scripta complectuntur. Typis Menaea saepe exscripta sunt, novissime Venetiis a. 1869 cura Barth. Cutlumusiani Imbrii, qui multis mendis priorum editionum partim codicum ope, partim ingenii acumine sublatis praeclare de his libris meritus est. Praeterea hic illic editionem principem, quae Venetiis anno 1595 a Georgio Blasto sacerdote Cretensi adornata prodiit, inspexi.

Τριῴδιον et Πεντηκοστάριον supplementa quaedam librorum Menaeorum sunt; cum enim Menaea solemnitatum, quae statis diebus fiunt (τῶν ἀκινήτων ἑορτῶν), carmina contineant, in Triodio et Pentecostario eorum dierum, qui una cum die paschali moventur, carmina adiecta sunt. Atque Triodion quidem officia τῆς Τεσσαρακοστῆς, id est a dominica Pharisaei usque ad sabbatum magnae hebdomadis, amplectitur, quibus diebus cum tristi et humili oratione uti christianos deceat, liber ipse deprecatorius (Τριῴδιον κατανυκτικόν) cognominatur. Sed in nonnullis codicibus, ut in cod. Vaticano, quo Ang. Maius in Spic. rom. t. IV usus est, carmina insequentium quoque dierum usque ad pridiem Pentecostes eodem libro comprehensa sunt. Triodii autem nomen liber obtinuit, quod triodia sive cantica trinum odarum, in Menaeis illa quidem rarissima, crebro in eo occurrunt. Pentecostarii vero liber, cuius nomen explicatione non indiget, officia reliquorum dierum mobilium inde a die paschali usque ad diem festum Omnium Sanctorum continet.

Ὡρολόγιον nomen accepit a prima et praecipua parte, qua preces et carmina septem horarum (μεσονυκτικοῦ, ὄρθρου μετὰ τῆς πρώτης ὥρας, τρίτης ὥρας, ἕκτης ὥρας, ἐννάτης ὥρας, ἑσπερινοῦ, ἀποδείπνου) continentur. Huic parti duae aliae adiectae sunt, quarum prior τροπάρια, ἀπολυτίκια καὶ κοντάκια omnium dierum anni collecta exhibet, altera ἀκολουθίας τοῦ ἀκαθίστου ὕμνου εἰς τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον, τῶν δύο παρακλητικῶν κανόνων εἰς τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον, τῆς θείας μεταλήψεως (communionis) et canones aliquot amplectitur. Mihi in hac anthologia conscribenda Horologii duae editiones Venetae a. 1831 et 1850 et codex Monacensis n. 320 saec. XII (F) praesto erant.

Qui hucusque a me libri recensiti sunt, carmina ipsa ecclesiae graecae exarata habent; praeter eos alii libri cantorum usui ita accommodati sunt, ut verba cum notis musicis contineant. Horum quoque librorum indicem sub finem huius libri proponam:

Εἱρμολόγιον hirmos odarum canonum corpore unius libri collectos continet. Talis libri iam Suidas lexicographus mentionem facit, inani tamen explicatione addita: Εἱρμολόγιον· βιβλίον τι. Manu scriptum hirmologium nullum vidi, sed bibliothecae insulae Patmi codici n. 206 titulum Εἱρμολόγιον μουσικὸν praefixum esse ex Guerin Déscription de l'île de Patmos cognovi. Typis autem hunc librum exscribendum nuper Ioannes Lampadarius curavit: Εἱρμολόγιον τῶν καταβασιῶν Πέτρου τοῦ Πελοποννησίου μετὰ τῶν κανόνων τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ καὶ συντόμου εἱρμολογίου, ἐξηγημένα κατὰ τὴν νέαν τῆς μουσικῆς μέθοδον, ἐπιθεωρηθέντα ἤδη καὶ ἀκριβῶς διορθωθέντα παρὰ Ἰωάννου Λαμπαδαρίου. ἔκδοσις γ΄. Κωνσταντινοπόλει, ἐκ τῆς τυπογραφίας Θάδδαίου Τιβιτσιάν 1856. Hunc autem in librum praeter hirmos canonum etiam modulationes Προσομοίων receptae sunt.

Στιχηράριον verba et notas musicas versiculorum (στιχηρῶν) cum aliorum tum eorum, qui suis et propriis modis utuntur, complectitur; tales codices multi in bibliothecis reperiuntur, ipse unum codicem Monacensem membranaceum n. 471 saec. XI (E) et tres codices Vindobonenses theol. n. 136 saec. XII (H), theol. n. 181 saec. XIII, theol. n. 33 saec. XIII (F) inspeximus.

Κεκραγάρια Leo Allatius de libris eccl. Graec. p. 103 inter libros canticorum recenset. Equidem peculiarem librum hoc nomine inscriptum nullum novi, sed codicis Vindob. theol. n. 330 hunc titulum notavi: ἀρχὴ . . . τῆς ὀκτωήχου σὺν τοῖς κεκραγαρίοις καὶ τοῖς ἑωθινοῖς αὐτῶν, quo ex eodem codice apparet κεκραγάρια varios modos intellegi verborum Κύριε ἐκέκραξα πρὸς σέ· εἰσάκουσόν μου· κύριε ἐκέκραξα πρὸς σέ· εἰσάκουσόν μου· πρόσεχε τῇ φωνῇ τῆς δεήσεώς μου ἐν τῷ κεκραγέναι με πρὸς σέ· εἰσάκουσόν μου, κύριε.

Denique libros canticorum prelo excusos adhibuimus hos:

Ἀναστασιμάριον carminum, quae die dominica cantantur, modos complectens, quod Ioannes Protopsaltes Constant. a. 1863 edendum curavit.

Δοξαστάριον a Gregorio Protopsalta Constant. a. 1849 iterum editum duobus voluminibus eorum idiomelorum modulationes continet, quae cum verbis Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι· Καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν coniuncta sunt.

Πανδέκτη ab Ioanne Lampadario et Stephano Domestico Constant. a. 1848 edita quatuor voluminibus cunctam, ut ipsum nomen declarat, ecclesiasticam hymnodiam totius anni complectitur; huius libri in praefatione p. 2 omnes modulationum libros, qui hucusque typis vulgati sunt, enumeratos invenies.

LIBER TERTIUS.

DE RHYTHMICIS LEGIBUS CARMINUM BYZANTINORUM.

Carminibus ecclesiasticis byzantinis, quorum delectum in hoc libro adornavimus, eadem fere forma est, quae prosis ecclesiae latinae. Neque hanc similitudinem viros doctos medii aevi fugisse cum nomina tropi et prosae inter se commutata (vide F. Wolf Die Lais S. 93) tum Cypriani in vita S. Caesarii latinas prosas et graeca carmina coniungentis testimonium demonstrat. Voluit, inquit ille, Caesarius atque etiam compulit laicos et populares homines psalmos et hymnos promere altaque et modulata voce instar clericorum alios graece, alios latine prosas et antiphonas decantare. Idem vero Suidas lexicographus comprobat, qui Ioannis Damasceni refert συγγράμματα πάνυ πολλὰ καὶ μάλιστα φιλόσοφα . . . . καὶ οἱ ᾄσματικοὶ κανόνες, ἰαμβικοί τε καὶ καταλογάδην. Iambicos enim dicit canones iambicis trimetris compositos Nativitatis Christi, Theophaniorum, Pentecostes; reliquos omnes prosa oratione conscriptos esse significat. His autem reliquis canonibus summa similitudo cum Cosmae, Theophanis, Iosephi, aliorum non solum canonibus sed etiam tropariis intercedit. Neque mirum est, quod graeci et latini scriptores talia cantica prosae orationi potius quam versibus adnumerabant, namque non solum carminum metricorum, quae sola vincta veteres grammatici dixerant, legibus non illigata erant, sed ne aliarum quidem legum eas notas impressas prae se ferebant, quae sensus hominum ferirent. Oedipum mehercle sagacitate et acumine superaret, qui Ioannis, Cosmae, Metrophanis versuum, quales in Danielis Thesauro hymnologico descripti sunt, leges primo aspectu perspiceret. Ne ii quidem, qui rectius divisi sunt, versus tanta aequabilitate conspicui sunt, quanta Homeri hexametri aut Ovidii elegiae, ut quae vel imperitum et rudem hominem certae cuiusdam legis commoneant.

Altera ex parte cantici natura a solutae orationis genere adeo abhorret, ut carminis et vinctae orationis notiones vulgo confundant, id quod cum in omnia carmina cadit, tum in ea, quae ut cantarentur, non legerentur facta et destinata erant. Nam quod nostra memoria plerosque canones Octoechi recitare potius quam psallere solent, a consilio poetae et vetere instituto degenerarunt. Et profecto, modo plura troparia, quorum iidem modi musici sunt, inter se contuleris, byzantina quoque illa carmina ad amussim facta esse facile intelleges. Primum igitur omnium προσόμοια et odae canonum examinanda sunt, ut leges byzantinae poesis cognoscantur; et quo plura troparia eosdem modos sequuntur, eo plus ad artis leges aperiendas valent. Quibus autem modis quodque carmen aptatum sit, ut in latinis sequentiis saepe obscuratum nec sine difficultate eruendum est, ita in graecis carminibus apertum et in aprico positum est. Namque si quod troparium alienis modis utitur, in libris et manu scriptis et prelo excusis ita indicatum est, ut aut plenum exemplar aut prima eius verba praefixa sint. Neque rara carminum alienis modis utentium exempla sunt; immo antiquissimorum tropariorum et Ioannis hirmorum modi adeo omnibus placebant, ut sexcenties saepe idem exemplar expressum sit. Qua de causa προσομοίοις et Ioannis canonibus praeter cetera carmina animum advertimus. Neque hoc ita dico, tamquam idiomela minus severae normae illigata esse sentiam; sed cum similium stropharum indiciis non comprobari possit, num idiomelon versiculi recte in codicibus divisi sint, certis et exploratis quam dubiis et ancipitibus exemplis uti maluimus.

Atque primum quidem tropariis similibus collatis pari unamquamque stropham numero versiculorum sive membrorum (κώλων) constare apparet. Atque singulae quidem strophae vulgo ita divisae sunt, ut nova stropha a nova linea et litera initiali maiore nec raro minio pincta ordiatur; quod vero in codicibus DE finis strophae insuper paragrapho cum duobus punctis in hunc modum iuncta :— significari solet, ex veterum grammaticorum disciplina receptum esse videtur. Hephaestione enim (p. 137 ed. alt. Gaisf.) teste lyrica carmina ita a grammaticis dividebantur, ut post unamquamque stropham paragraphum ponerent. Quid? quod ea quoque paragraphi vis, qua Heliodorum in comoediis Aristophaneis versonarum chorique partium vices significasse constat (conf. Hense Heliodoreische Studien S. 49), in carmina byzantina ecclesiastica quadrat, siquidem duo chori alternis vicibus singula troparia canere solent. Stropharum vero singula cola ut dividerent, librarii codicum post unumquodque colum punctum aut auream stellulam, quam quidem in codice Mosquensi interpositam esse Pitra Hymnogr. p. 12 testatur, collocabant. Hunc puncta interiiciendi morem a veteribus editoribus servatum recentiores ita mutaverunt, ut loco punctorum commata interponerent. Quamquam autem in nullo libro colorum divisiones plane omissas esse novi, tamen saepe numero aliter aliis in codicibus cola divisa sunt. Sed ne ex discrepantia librorum alios aliis carminum modis membrorumque divi-

sionibus usos esse calidius colligas, longe plurimis locis neglegentia et oscitantia scribarum peccatum est. Atque ut alio alius librarius in literis exarandis religiosior et diligentior erat, sic cola quoque in codicibus D E accuratissime, in A C neglegentissime distincta sunt. Maximae vero turbae in colis dividendis ambiguitate notarum ortae sunt; cum enim in colis numerorum distinguendis iisdem, quibus in membris orationis interpungendis, notis uterentur, neque semper utriusque rei eaedem rationes essent, fieri non potuit, quin librarii in errores inducerentur. Sed hi quoque errores pluribus similibus tropariis inter se collatis facile plerique removeri possunt.

Numero versiculorum magnopere troparia inter se differunt, sed raro infra quatuor membra descendunt aut supra viginti progrediuntur; fere iisdem igitur finibus, quibus strophae veterum poetarum lyricorum et scenicorum includuntur. Praeterea hac quoque re veteres strophae et byzantina troparia concordant, quod singuli versiculi plerumque disparis magnitudinis sunt et rarissime tria quatuorve membra eiusdem strophae gemina inveniuntur.

DE COLIS SIVE VERSICULIS.

Prima igitur lex byzantinorum carminum erat, ut quae troparia iisdem modis utebantur, pari versiculorum numero constarent. Iam illud quaeritur, quibus tandem legibus forma singulorum membrorum ipsa illigata fuerit et quibus rebus factum sit, ut quae in duobus pluribusve tropariis membra sibi respondebant, sui similia esse viderentur. Atque hoc quidem, si Ioannis tres canones iambicos exceperis, in propatulo est similitudinem quantitatis syllabarum nullam esse nec certo ordine syllabas longas et breves sese excipere. Hoc igitur nomine byzantina carmina ab odis veterum Graecorum plane differunt; quo cum accedat, quod hiatus, quem limatissimus quisque poetarum veterum religiosissime vitabat, saepe admissus est, Suidas canones byzantinos prosa oratione (καταλογάδην) conscriptos esse iudicavit. Sed ut melodi christiani iis, quibus veteres poetae, legibus non astricti fuerint, certa tamen aliqua norma eos coercitos fuisse ipsa versus natura clamat. Atque Pitra in libro saepe iam laudato nuper luculentissime demonstravit versiculos, qui sibi invicem responderent, totidem syllabis constare numerumque syllabarum artis vatum christianorum quasi cardinem fuisse. Sed ut hoc rectissime vir clarissimus perspexit, ita neque causas huius rei bene aperuit et nimia severitate in versibus ad istam normam exigendis usus est. Namque codicum fidem si sequimur, satis magnus versiculorum numerus exstat, qui, cum nullam interpolationis corruptelaeve suspitionem admittant, eos, qui iis respondent, versus una alterave syllaba superant. Neque in graecis carminibus solis hoc factum est, sed latinarum quoque sequentiarum simillimam licentiam C. Bartsch in libro Die lateinischen Sequenzen des Mittelalters S. 34—46 indagavit. Qua de causa nisi nimia audacia in arte critica exercenda uti malis, severitatem in pari numero

syllabarum exigendo paululum remittas et licentiae illius causas et fines rimeris oportet. Sed ne filum argumentationis inceptae interrumpamus, infra de hac inaequabilitate colorum eiusque causis copiosius disseramus. Plane vero recta via Pitra aberravit, quod nimio ardore fidei catholicae defendendae inflammatus byzantinos melodos hac paris numeri syllabarum lege constituta cavisse dixit, ne verbis adiectis aut omissis sua placita interpolari et in contrariam partem detorqueri possent. Licet enim principes melodi Ioannes Damascenus et Cosmas Hierosolymitanus non solum poetarum, sed etiam theologorum partes tuiti sint neque ab argutiis nugisque suae aetatis abstinuerint, tamen in carminibus pangendis eorumque textura instituenda artis poeticae potius quam theologicae subtilitatis leges secuti sunt. Iam si byzantina carmina ad canendum facta eaque modorum simplicitate antiquissimis temporibus usa esse reputamus, ut singulae syllabae fere singulis vocis flexibus pronuntiarentur, causam paris syllabarum numeri ex natura modorum repetendam esse apparet. Hoc autem eo minus in dubitationem vocare licet, quia iam veteres poetae lyrici in carminibus ad canendum destinatis non solum pedum morarumque, sed etiam numeri syllabarum aequabilitatem spectabant; unde factum est, ut grammatici iam eo tempore, quo metricae leges rhythmicis nondum cesserant, nonnullos versus, velut Σαπφικὰ ἑνδεκασύλλαβον καὶ πεντεκαιδεκασύλλαβον, Ἀλκαϊκὸν δωδεκασύλλαβον numero syllabarum definirent. Quo magis autem discrimina longarum et brevium syllabarum minui et obliterari coepta sunt, eo minus poetae syllabam longam in duas breves solvere ausi sunt, quo factum est, ut etiam in trimetris iambicis, qui recitationi potius quam cantui facti erant, certum numerum duodenum syllabarum egredi vererentur. Quodsi medio aevo qui veterum poetarum vestigia legebant, syllabarum numerum in versibus pangendis non neglegebant, melodos, qui insuper modorum natura coercebantur, multo etiam magis cavere par erat, ne versus sibi respondentes disparis magnitudinis essent.

Altera igitur lex, quam byzantini poetae in carminibus faciendis observabant, ad numerum syllabarum pertinebat. Neque hanc legem tamquam suam et sibi propriam constituerunt, sed et vetustiores poetae Syri et aequales scriptores sequentiarum latini eadem norma artis usi sunt. Sed ne in hac una re observanda eos acquievisse putemus, ipsa versuum modorumque natura prohibemur. Namque nobis quidem cum notione versus numerorum sive rhythmi vis adeo coniuncta esse videtur, ut versum nullum esse sentiamus, quin cantoris vel recitatoris vox certis intervallis modo erigatur, modo deprimatur. Verum ne quod in latinis nostrisque versibus usu venire novimus, in byzantinis quoque factum esse temere colligamus, pedetemptim et caute nobis progrediendum est. Nam ut psalmorum versus in pares numerorum pedes nec umquam divisos nec ullo modo dividendos mittam, latini quoque poetae medii aevi duo carminum genera, hymnos et prosas, ita differre statuebant, ut prosae non iisdem, quibus hymni, legibus rhythmi tene-

rentur. Quin adeo lyrici poetae graeci versus, quorum pedes ex vario pedum genere mixti essent, frequentius quam versiculos aequabiliter decurrentes pangere soliti erant. Quamvis enim fieri potuerit, ut inaequabilitas pedum, quae in syllabis carminum lyricorum conspicua est, cantoris voce minueretur et plane tolleretur, tamen parum caute et circumspecte nostra memoria agunt, qui suum magis arbitrium quam veterum scriptorum fidem secuti omnem inaequabilitatem pedum multifariis artificiis, modo protrahendo syllabas, modo corripiendo removere conantur. Verum enim vero ut aequabilitate pedum lyrici versiculi carere potuerint, omnes tamen ictu vocis in plures pedes dividebantur; quaeritur igitur, num byzantinorum quoque troparium versiculi non solum pari numero syllabarum, sed etiam pedum ictuumque similitudine sibi invicem responderint.

Atque primum quidem quisquis plures strophas similis carminis (τῶν προσομοίων) a cantore vel imperitissimo cantatas audiet, continuo versiculorum sibi respondentium certas quasdam syllabas maiore ictu erigi animadvertet. Si vero melodiarum libros inspexerit, easdem illas syllabas fere duplici nota instructas videbit, quarum altera altitudinem, altera intentionem vocis indicat. Atque in eo quidem scribendi genere, quo nunc modos musicos exprimere solent, duabus notis ad ictum vocis indicandum utuntur. Harum altera, cuius usus latissime patet, ψηφιστὸν audit, et idem fere quod Italorum marcato valet*); ut in versu

υμνοις α ει γητοις μεγα λυ νο ο μεν

hac nota ter posita cantores syllabas υμ γη λυ vehementiore ictu pronuntiare iubentur. Multo rarius nota βαρείας utuntur, quae, cum descendente modulatione plerumque coniuncta, vocis gravitatem significat**); ut in versu



και χα μαι αι ζη λον φρο νη μα.

secunda syllaba vocabuli χαμαίζηλον gravitatis nota instructa ad rei humilitatem significandam quasi altius demittitur. Praeterea tertia nunc nota musica utuntur, quae altitudinem eademque intentionem vocis indicat. Cum enim tribus notis κεντήματος, ὀλίγου, πεταστῆς vocem a cantore uno intervallo erigendam esse moneant, ultimam notam, quod ipsum nomen declarat, iis locis usurpant, quibus vox volatu quodam ad altiorem gradum feratur,

*) Confer Philoxenum Θεωρητικὸν στοιχειῶδες τῆς μουσικῆς p. 88: Τὸ ψηφιστὸν εἰς τοὺς χαρακτῆρας, ὅπου ὑπογραφθῇ, κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν θέλει νὰ δείξῃ εἰς αὐτοὺς δύναμίν τινα καὶ ζωηρότητα ἐκτὸς τῆς φυσικῆς ὀξύτητος, ἣν ἔχει ὁ χαρακτὴρ ἐκεῖνος.

**) Philoxenus ibid. p. 87: Ἡ μὲν βαρεῖα θέλει νὰ προφέρηται μετὰ βάρους ὁ φθόγγος τοῦ χαρακτῆρος, ὅπου κεῖται ἔμπροσθέν της, ὥστε νὰ διακρίνηται ἡ ζωηρότης του τόσον ἀπὸ τὸν ἡγούμενον, ὅσον καὶ ἀπὸ τὸν ἑπόμενον.

neque ulla in graecis modulationibus hac intendendae vocis nota crebrior est, veluti in exordio carminis celeberimi Τὴν ὡραιότητα:



quatuor syllabas ο νι περ νει petastae nota insignitas ita pronuntiant, ut vocem vehementius in altitudinem rapiant. Hoc quoque memoratu dignum est, quod nota κλάσματος signo petastae subiecta cantores quatuor illas syllabas non solum erigere sed etiam ita protrahere iubentur, ut duplum temporis spatium sive duas moras expleant. Sed quamquam saepe protractio vocis cum petastae nota coniuncta est, tamen caveas, ne ubique hoc factum et plenam similitudinem inter syllabam hac nota byzantina instructam et syllabam productam veterum poetarum intercedere arbitreris. Similiter etiam eae syllabae, quae cum gravitate (μετὰ βάρους) pronuntiandae sunt, si minus omnibus locis, at tamen plerisque duplum temporis spatium explent.

His igitur notis nostra memoria secundum praecepta novae disciplinae musicae (τῆς νέας μεθόδου) ad ictum sive intentionem vocis significandam utuntur; in codicibus notas τῆς βαρείας καὶ τῆς πεταστῆς fere iisdem locis, quibus in libris prelo excusis, usurpatas, ψηφιστὸν autem multo rarius adhibitum repperi. Neque tamen res ipsa ulla ex parte mutata esse videtur; codicum enim librarii praeter tres, quae etiam nunc in usu sunt, quarta nota, qua vocem uno intervallo erigendam esse monerent, utebantur, et hanc quartam notam, cui et nomen et signum accentus acuti (ὀξείας) erat, fere iis locis, quibus nunc ὀλίγον cum ψηφιστῷ coniungunt, adhibebant. Quo autem tempore veterem illam notationem abiecerint novamque adsciverint, equidem in mea librorum penuria accuratius definire non potui, qua de causa Graecos, quibus carminum libros plures inspiciendi et rectius interpretandi copia facta est, admonitos velim, ut hanc quoque rem examinent et ad liquidum perducant.

Ex iis, quae hucusque disserui, apparet byzantinos musicos ictus intentionisque vocis vim adeo non fugisse, ut certas quasdam notas ad eam significandam invenirent. Quid vero? nihilne poetae musicos adiuverunt? nullane musicorum et poetarum mutua commercia erant, praesertim iis temporibus, quibus iidem et carmina scribere et modos facere solebant? Hoc cum ipsum satis improbabile sit, tum modorum signis cum verbis carminum collatis apparet nisi syllabam acutam intentionis nota non insignitam esse. uno exemplo ut hanc rem illustrem, tropariorum, quae carminis Τὴν ὡραιότητα modulos sequuntur (vide p. 56), primos versus ita hic apponam, ut syllabas nota petastae instructas pinguioribus literis exscribendas curem:

Τὴν ὡραιότητα | τῆς παρθενίας σου ‖ καὶ τὸ ὑπέρλαμπρον | τὸ τῆς ἁγνείας σου.
Τὸ ἀναλλοίωτον | τὸ τῆς θεότητος ‖ καὶ τὸ ἑκούσιον | πάθος σου, κύριε.
Τὸ ἀκατάλληκτνν | τὸ τῆς σταυρώσεως ‖ καὶ ἀνερμήνευτον | τὸ τῆς ἐγέρσεως.
Σήμερον ἅπασα | κτίσις ἀγάλλεται, ‖ ὅτι τὸ χαῖρε σοι | φωνεῖ ἀρχάγγελος.
Ἐπιφανέντος σου | ἐν Ἰορδάνῃ, σωτὴρ, ‖ καὶ βαπτισθέντος σου | ὑπὸ προδρόμου, Χριστέ.
Τὸν συμπαθέστατον | κύριον μάρτυρα ‖ ἐκδυσωποῦμέν σε | πιστῶς, Δημήτριε.
Θεομακάριστε | μῆτερ ἀνύμφευτε ‖ τὴν ἀσθενοῦσάν μου | ψυχὴν θεράπευσον.

En summum nulloque loco turbatum concentum musicae notae πεταστῆς et syllabae acuto accentu pronuntiandae. Adeo autem hanc societatem accentuum et mucicarum notarum iam codicum librarii persenserant, ut quotiescunque notis musicis verba carminum instruebant, accentus syllabarum scribere supersederent. Nihil vero referre videmus, utrum circumflexus, an acutus accentus syllabae sit; nimirum cum discrimine syllabae productae et correptae evanescente illa quoque accentus circumflexi et acuti differentia obliterari coepta est. Contra nulla indicia apparent societatis inter vocis sonum elevatum et syllabam longam intercedentis. Immo vero metricae compositionis legibus spretis et abiectis poesis byzantina rhythmici carminis naturam totam induerat. Atque iam quarto saeculo Gregorium Nazianzenum in duobus carminibus ab metricis ad rhythmicas rationes transire coepisse supra p. XIII monuimus, et etiam multis annis ante Gregorium Babrius, fabularum scriptor, quamvis severe in versibus claudis faciendis leges metricas observaret, tamen accentui quoque hoc dandum esse epistimavit, ut paenultimo loco cuiusque versus nusquam non acutam syllabam poneret; conf. Westphal Griechische Metrik 2. Aufl. II, 54. Praeterea mutata pronuntiatione et vocalium brevium longarumque discrimine primum minuto, deinde sublato, cuius rei errores titulorum primis saeculis post Christum natum inscriptorum insculptorumve larga documenta suppeditant, fieri non potuit, quin rhythmica carmina in dies magis placerent maioremque applausum ferrent. Nescio tamen an etiam plus exemplum psalmorum et canticorum hebraicorum valuerit. Etenim psalmorum cantus in ecclesia graeca usque ad nostram memoriam insignem locum obtinet et christianorum cantica procul dubio ex synagogis Iudaerum tamquam capite et fonte profluxerunt. Mirum igitur, ni hebraica poesis similium carminum pangendorum studia apud christianos excitaverit. Hac autem re in difficillimas quaestiones de rhythmica forma psalmorum canticorumque sacrorum incidimus, quibus diu multumque a viris doctissimis disceptatis meum iudicium interponere non temerarii, sed impudentis hominis esset. Verum accentibus syllabarum summam vim in modulationibus hebraicis tributam esse a peritissimis iudicibus concedi audio, quorum ex numero unum Delitzschium testem hoc loco afferre iuvat: Das musikalische Element der hebräischen Grammatik ist das accentuologische.... Jeder Vers des alttestamentalischen Textes bildet eine durch die Tonzeichen geregelte, aus Vorder- und Nach-

satz mit ihren Cadenzen bestehende musikalische Periode (Delitzsch Zur Geschichte der jüdischen Poesie S. 23 u. 48, vergl. Fétis Histoire de la musique I, 440).

Tertiam igitur legem a melodis byzantinis observatam esse novimus, ut troparia sibi respondentia certis quibusdam locis accentu syllabarum concinerent. Atque hanc quidem legem, quam Pitrae sagacitatem fugisse magnopere miror, fundamentum artis poetarum byzantinorum dicere non dubito. Neque ego primus hanc legem in lucem protraxi, sed multis abhinc non annis sed saeculis grammaticus quidam byzantinus pronuntiavit. In libro enim de prosodia, cui titulum Theodori grammatici Alexandrini falso praefixum esse alio loco (Beitr. S. 27) demonstravi, hoc praeceptum legimus: Ἐάν τις θέλῃ ποιῆσαι κανόνα, πρῶτον δεῖ μελίσαι τὸν εἱρμὸν, εἶτα ἐπαγαγεῖν τὰ τροπάρια ἰσοσυλλαβοῦντα καὶ ὁμοτονοῦντα καὶ τὸν σκοπὸν ἀποσώζοντα. Nam quae grammaticus de canonum odis praecipit, etiam ad reliqua carminum byzantinorum genera pertinet, et qua accentus congruentia hirmus et troparia cuiusque odae coniunguntur, eandem inter αὐτόμελον et προσόμοια intercedere par est. Accedit, quod etiam in iambicis politicisque versibus faciendis scriptores byzantini similes rationes ita secuti sunt, ut duobus pluribusve locis cuiusque versus syllabam nisi acutam non ponerent, et latini melodi medii aevi quantitate syllabarum neglecta accentuum regula in versiculis faciendis utebantur; conf. Struve Ueber den politischen Vers der Mittelgriechen, Henrichsen Ueber den sogenannten politischen Vers bei den Griechen, K. Bartsch Die lateinischen Sequenzen des Mittelalters. Denique ne hoc quidem neglegendum est, quod graecorum vocabulorum accentus, quales Aristophanis et Herodiani grammaticorum temporibus fuisse novimus, usque ad nostram memoriam immoti manserunt, id quod eo plus admirationis habet, quo mobilior et inconstantior natura accentus in aliis linguis est. Neque dubito mirae huius constantiae graeci sermonis causam ex insigni vi repetere, quam in carminum cum aliorum tum ecclesiasticorum arte accentus obtinuit. Quamquam enim Fallmereierum nostrum, quod suos Slavos a sacerdotibus monachisque usum graeci sermonis accepisse statuit, probabilitatis limites evagatum esse iudicamus, tamen ecclesiastica carmina nonnihil ad integritatem sermonis et accentuum servandam valuisse veri simillimum est.

Sed ut ad quaestionem, unde profecti sumus, redeamus, versuum rhythmus ictu certis quibusdam intervallis redeunte efficitur. Sic hexametrum dactylicum veteres graeci dicebant, quod non uno duobusve, sed sex locis aequo intervallo distantibus percutiebatur. Et ut glyconei, pherecratei, logaoedici versuum alios pedes trium, alios duarum vel duarum et dimidiae morarum spatium explesse ducamus, tamen omnes, modo syllabarum longarum indicia sequamur, plus semel ictu feriebantur, unde horum quoque lyricorum versuum similitudinem quandam rhythmi ictibus si minus paribus, at tamen similibus intervallis redeuntibus fuisse dicimus. Iam ex iis, quae supra exposuimus,

apparere videtur in byzantinis carminibus syllabam acutam vel accentuatam locum syllabae productae obtinuisse. Quaeritur igitur, num haec quoque carmina syllaba acuta paribus vel similibus intervallis redeunte modulate decurrerint. Priusquam autem ad hanc quaestionem difficillimam solvendam aggrediamur, pauca nobis praemonenda sunt.

Atque primum omnium admirationem movet, quod byzantini melodi, quamvis paene innumeras notas musicas excogitaverint, quibus non solum altitudinem vocis, sed etiam temporis spatium et vocis varios flexus notarent, tamen nullo signo ad rhythmum numerosque indicandos usi sunt. Sed ne magistri quidem, qui de arte musica commentati sunt, hanc partem, quae nobis quidem gravissima esse videtur, pertractant, et sicubi rhythmi mentionem iniiciunt, ita fluctuant, ut eius vim magis fama accepisse, quam usu percepisse videantur. Sic Philoxenus Θεωρ. p. 45, postquam rhythmi naturam in legitimo ordine arsis et thesis positam esse recte definivit, paulo post rhythmum cum accelerato aut retardato motu vocis, quem ἀγωγὴν veteres magistros dixisse constat, commutavit: Ἐκεῖνο δὲ, τὸ ὁποῖον γίνεται ἐκ τῆς τακτικῆς συμφωνίας μιᾶς μουσικῆς διὰ τῶν πολλῶν ὀργάνων ἢ ψαλτῶν διὰ τῆς ἑνώσεως τοῦ ἀργοῦ καὶ γοργοῦ, ὡς ἐκ τῆς κινήσεως τῆς ἄνω καὶ κάτω φορᾶς ἑνὸς σώματος εἰς δεῖξιν κρότου καὶ ἠρεμίας τῆς ἄρσεως καὶ θέσεως, ἢ ἐκ τοῦ μετρήματος τοῦ βραχέος καὶ μακροῦ χρόνου, ὀνομάζεται ῥυθμὸς, ὅπερ λέγεται κατὰ μὲν τοὺς Ἄραβας οὐσούλ, κατὰ δὲ τοὺς Εὐρωπαίους τέμπο. Eustathios quidem Thereianos, qui aliquot carminum modos nostris notis musicis expressos officiose nobis commodavit, nostro more etiam singulos pedes lineis rectis divisit, sed neque graecorum characterum exemplum in hac re adornanda secutus est, neque nihil, ut numerosius modi percurrerent, novavit. Ipse enim per literas mihi significavit se numerorum gratia temporum spatia hic illic partim contraxisse, partim dilatasse: οὐδὲν δ' ἄλλο, ἔφη, ἐποίησα ἢ προσθαφαιρέσεις τινῶν χρόνων ἐπὶ τὸ ῥυθμικώτερον. Cantores vero graeci quod dextero pede, dum carminum modos canunt, humum percutere solent, neque ad pedes dividendos neque ad id rhythmi genus, quod nos vulgo intellegimus, significandum pertinet. Nos enim similiter atque veteres Graeci pedis manusve ictu syllabam intenta voce pronuntiandam esse ita significamus, ut intervallis modo maioribus, modo minoribus intermissis plures syllabas uno pede comprehendamus; recentiorum Graecorum in cantilenis fere singulae syllabae singulis ictibus pedis feriuntur, rarissimeque duo soni correpti uno ictu comprehenduntur; confer Philoxenum l. l. p. 77: ὁ δὲ ἀπὸ τὴν μίαν κροῦσιν ἕως εἰς τὴν ἄλλην ἐξοδευόμενος καιρὸς λογαριάζεται εἷς χρόνος εἷς χαρακτὴρ, ὅστις φανερόνει ἕνα φθόγγον, ἐξοδεύει ἕνα χρόνον. Creberrimi igitur hi ictus pedis, etiamsi et ipsi cantorem in intervallis temporum rite servandis adiuvent, tamen toto coelo ab intersecivis illis ictibus differunt, quibus veteres Graecos ad pedes numerorum significandos usos esse novimus.

Nihil igitur Byzantinorum nec musicis notis nec pedis ictibus ad rhythmum

cuiusque carminis cognoscendum adiuvamur. Itaque fundamento signorum ad intentionem vocis significandam adhibitorum accentuumque verborum concentus nos inniti oportet. Sed praeter eas versuum sedes, quae in nulla stropha syllaba acuta non explentur, aliae quoque, in quibus syllaba acuta plerumque colloeata est, in censum vocandae sunt. Si enim Προσομ. IV versiculos sextos p. 67 et Προσομ. VI versiculos primos p. 70 inter se contuleris:

καὶ τῷ πόθῳ ἠπείγετο. Ὡς γενναῖον ἐν μάρτυσιν.
οἱ μοχλοὶ συνετρίβησαν. ῥωμαλέῳ φρονήματι.
τὰ θανάτου ἀπέκλεισας. τῷ σωτῆρι συνέπαθες.
καὶ τὸν λίθον τοῦ μνήματος. τῷ τῆς πίστεως θώρηκι.
Γεωργίου τοῦ μάρτυρος. ὡς ἀστέρα πολύφωτον.
καὶ θυσίαν εὐπρόσδεκτον. ἐν θαλάσσῃ με πλέοντα.
καὶ σοφῶς ἀποθέμενος. τὴν χρυσήλατον σάλπιγγα.
καὶ διώκων ψυχώλεθρον. τὸν ἀστέρα τὸν ἄδυτον.

tertia et sexta sede cuiusque versus numquam non, prima plerumque syllabam acutam positam esse videbis; neque causa huius discriminis te fugiet, si modos versiculorum examinaveris

Hanc igitur rem ita notis exprimere visum est, ut plenum concentum trinis, imperfectum binis punctis in hunc modum notaremus:

: . ⁝ . . ⁝ . .

Eo magis autem hunc ancipitem quoque concentum notare constituimus, quod simillima quaedam inconstantia in nonnullis versibus veterum poetarum occurrit, ut in pherecrateis Aeschyli Sept. adv. Thebas vv. 296, 313, glyconeis Sophoclis Philoctetis vv. 1126, 1148:

πανδαμὶ πανομιλί. τὰν ἐμὰν μελέου τροφάν.
θεοὶ τοῖσι μὲν ἔξω. φυγᾷ μ' οὐκέτ' ἀπ' αὐλίων.

et in phalaeciis Catulli I, 1—4

Quoi dono lepidum novum libellum
arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
meas esse aliquid putare nugas.

Quod quo luculentius perspicias, schemata illius versus byzantini et versus glyconei iuxta posita conferas:

: . ⁝ . . ⁝ . . . . ⏑ ⏑ – ⏑ –

Iam si et plenam et imperfectam congruentiam accentuum consideraverimus, multos versiculos byzantinos numerose cadentes et manifestam similitudinem cum metricis colis veterum poetarum prae se ferentes videbimus. En satis amplam messem talium versiculorum schematis byzantinis et veteribus iuxta positis illustratam:

COLA ANAPAESTICA ET ANAPAESTICA LOGAOEDICA:

. . ⁝ . . ⁝ . . ⁝ . . ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – vel – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

Ἐβόησε προτυπῶν Pitra XXXIV, Theophanis can. I od. ϛ′ vv. 2, 4, 6 p. 239:

v. 2: προτυπῶν τὴν ταφὴν τὴν τριήμερον.
τὴν φωνὴν Γαβριὴλ τὴν χαρμόσυνον.
ἡ χαρὰ, θεομῆτορ, ἡ ἔνθεος.
δι' ἐμοῦ καταργείσθω κατάκριμα.
ὁ θεὸς Ἀβραὰμ τῷ προπάτορι,

v. 4: Ἰωνᾶς ἐν τῷ κήτει δεόμενος.
εὐφροσύνης ἐνθέου πεπλήρωμαι.
πᾶσα κτίσις κραυγάζει, θεόνυμφε.
δι' ἐμοῦ τὸ ὀφείλημα σήμερον.
ἐν τῷ σπέρματι τούτῳ τὰ ἔθνη,
ἁγνή.

v. 6: Ἰησοῦ βασιλεῦ τῶν δυνάμεων.
καὶ χαρὰν καταγγέλλεις τὴν ἄληκτον.
τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ προωρίσθης, ἁγνή.
τὸ ἀρχαῖον δοθήτω πληρέστατον,
ἡ ὑπόσχεσις δέχεται σήμερον.

. ⁝ . . ⁝ . . ⁝ . : ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

Cosmas can. II od. ε′ v. 1 p. 167, Ioannes Damasc. can. IV od. ϛ′ v. 1 p. 219:

θεὸς ὢν εἰρήνης πατὴρ οἰκτιρμῶν.
ἐν δούλοις τῷ Καίσαρος δόγματι.
ἰδοὺ ἡ παρθένος, ὡς πάλαι φησίν,
κατῆλθες ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς.
φυλάξας τὰ σήμαντρα σῶα, Χριστέ.
σωτήρ μου τὸ ζῶν τε καὶ ἄθυτον.

. . ⁝ . . ⁝ . . ⁝ = ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – vel – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

Ὕμνος ἀκάθιστος v. 3 p. 140 sqq. vicies quater repetitus:

καὶ σὺν τῇ ἀσωμάτῳ φωνῇ.
τὸ σὲ βρέφος ἐκείνης εὐθύς.
ἐξ ἀσπόρου βλαστήσας γαστρός.
ὁ γὰρ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς.

COLA DACTYLICA ET DACTYLICA LOGAOEDICA:

: . . ⁝ . . ⁝ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – colon prius versus hexametri:

Ioannes Damasc. can. V od. α′ v. 1:

ᾄσωμεν πάντες λαοί.
σήμερον ἔαρ ψυχῶν.
ἡ βασιλὶς τῶν ὡρῶν.
πύλαι θανάτου, Χριστέ.

: . . ⁝ . . ⁝ . – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

Προσομ. II v. 1 p. 64 et IX v. 2 p. 76:

ἐν οὐρανοῖς τὴν ἐλπίδα.
τὴν ἐπὶ γῆς φθειρομένην.
ἐν ἑαυτῇ τὴν τριάδα,
τῶν οὐρανίων ταγμάτων.
ὁ ταξιάρχης τῶν ἄνω.
ὑπὸ τὴν σκέπην τῶν θείων.

: . . ⁝ . . ⁝ . : – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

Προσομ. VI v. 5 p. 70, Ioannes Damasc. can. IV od. θ′ v. 3:

ὅτι τὸν δρόμον τετέλεκας.
ὑπερορῶν μὲν τοῦ σώματος.
τοῖς ἐναντίοις ἀνάλωτος.
χόρευε νῦν καὶ ἀγάλλου, Σιών.
μέχρι τερμάτων αἰῶνος, Χριστέ.
δίδου ἡμῖν ἐκτυπώτερον.

:..:..:..:.. = _ ◡ ◡ _ ◡ ◡ _ ◡ ◡ _ ◡ ◡

Ioannes Damasc. can. apostolorum Petri et Pauli (29. Iun.) od. ϛ′ v. 5:

ἐν ὁμονοίᾳ φυλάττων τὴν ποίμνην σου.
τερατουργῶν παραδόξως τῇ χάριτι.
τὴν τῶν θαυμάτων ἐπλούτησε δύναμιν.

:..:. _ ◡ ◡ _ ⏑ versus Adonius.

Ioannes Damasc. can. I od. γ′ v. 1, δ′ v. 1, η′ v. 1:

νεῦσον πρὸς ὕμνους. ἴσος προῆλθες. μήτραν ἀφλέκτως.
νύμφη πανάγνου. ἔθνη τὰ πρόσθεν. λύμην φυγοῦσα.
ὕψους ἀνάσσων. ῥίζης φυεῖσα. ἥκεις πλανῆτιν.

COLA GLYCONEA ET PHERECRATEA ET LOGAOEDICA:

:.:..:.. _ ◡ _ ◡ ◡ _ ◡ _

Προσομ. VIII v. 8 p. 74:

ὅθεν τὴν παναγίαν σου. ᾧ καὶ νῦν παριστάμενος.
ὅθεν καὶ τὸν τῆς νίκης σου. δεῖξον τῆς ὡραιότητος.

:.:..:. _ ◡ _ ◡ ◡ _ ◡

Κάθισμα VIII v. 1 p. 62:

τὴν σοφίαν καὶ λόγον. σὺ υἱὸς ἐπεκλήθης.
τῶν παθῶν τοῦ κυρίου. παναγία παρθένε.

:..:.. _ ◡ ◡ _ ◡ _

Κάθισμα II v. 1 p. 56:

τὴν ὡραιότητα | τῆς παρθενίας σου. τὸ ἀναλλοίωτον | τὸ τῆς θεότητος.
σήμερον ἅπασα | κτίσις ἀγάλλεται. θεομακάριστε | μῆτερ ἀνύμφευτε.

:..:.:. _ ◡ ◡ _ ◡ _ ◡ versus Aristophanicus.

Cosmas can. XIII od. γ′ v. 1 p. 196, Octoechus p. 163 od. α′ v. 1:

σὲ τὸν ἐπὶ ὑδάτων. ᾄσωμεν τῷ κυρίῳ.
σύμβολα τῆς ταφῆς σου. ἄχραντε θεοτόκε.
ἥπλωσας τὰς ἀγκάλας. βότρυν σε ζωηφόρον.

.:..:.. ◡ _ ◡ ◡ _ ◡ _

Ioannes Damasc. can. VII od. α′ v. 1, Κάθισμα I v. 11:

ἀνοίξω τὸ στόμα μου. ὡς μόνος φιλάνθρωπος.
παρθένοι νεάνιδες. τοῦ σῶσαι τὸν ἄνθρωπον.
ἀξίως ὡς ἔμψυχον. συμφώνως προσφέρομεν.

IAMBICA ET TROCHAICA COLA:

Cola, quae iambicorum colorum similitudinem ita referrent, ut unoquoque pede acutam syllabam loco longae haberent, equidem nulla novi. Neque hoc quidem mirum est, quandoquidem veteres quoque Graeci, ne crebrescente vocis ictu

petulantes et illepidi versiculi fierent, singulis ictibus binos pedes iambicos trochaicosve comprehendere solebant, quo factum esse constat, ut versum sex pedibus iambicis constantem non hexametrum sed trimetrum vocarent. Quodsi veterum Graecorum vestigiis institimus, ea quoque cola iambica vel trochaica dicere nobis licet, quorum secunda et sexta aut prima et quinta syllabae acutae sint et intenta voce cantoris erigantur. Atque hoc etiam confidentius dicemus, sicubi medias syllabas, quartam dico iambicorum et tertiam trochaicorum colorum, plerumque acui cognoverimus.

. ⁝ . : . ⁝ . ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑

Cosmas can. XIV od. θ′ vv. 7, 8:

δοχεῖον τοῦ ἀστέκτου. χωρίον τοῦ ἀπείρου.
ἐξ ὕψους ἀποστόλους. ὑφ' ἧς καταλαμφθέντες.
λαοὶ φυλαὶ καὶ γλῶσσαι. τὰ θεῖα μεγαλεῖα.

: . ⁝ . : . ⁝ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Μεγαλυνάρια vv. 1, 2 p. 84:

ἀκατάληπτόν ἐστιν τὸ τελούμενον ἐν σοί.
ἀγκαλίζεται χερσὶν ὁ πρεσβύτης Συμεών.
βουληθεὶς ὁ πλαστουργὸς ἵνα σώσῃ τὸν Ἀδάμ.
γένος ἅπαν τῶν βροτῶν μακαρίζει σε, ἁγνή.

. ⁝ . ⁝ . : . ⁝ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Octoechus p. 120 od. γ′ v. 1, Ioseph can. I od. γ′ v. 1:

οὐκ ἔστιν ἅγιος ὡς σύ. ἡ γῆ μαστίζεται ἡμῶν.
θεὸν σταυρούμενον σαρκί. συσσείσας, κύριε, τὴν γῆν.
θανάτῳ θάνατος λυθείς. γεννήσας θάνατον πικρόν.
τοῦ θείου τόκου σου, ἁγνή. ἡ μόνη οὖσα ἀγαθή.

. ⁝ . . ⁝ . : . ⁝ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Προσομ. IX v. 9:

ὑπήκοοι γενόμενοι Χριστῷ. στρεβλώσεων μαστίγων καὶ πυρός.
ὑμνήσωμεν ἀξίως ἑορταῖς. στεφάνους καὶ τὴν δόξαν τοῦ Χριστοῦ.

⁝ . : . ⁝ . ⁝ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Ioannes Dam. can. IV od. γ′ v. 1:

δεῦτε πόμα πίωμεν καινόν. χθὲς συνεθαπτόμην σοι, Χριστέ.

⁝ . . ⁝ . ⁝ . . – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Προσομ. III v. 1:

Ὢ τοῦ παραδόξου θαύματος. σήμερον, πιστοί, χορεύσωμεν.

: . . . ⁝ . . . ⁝ . – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑

Ioannes Dam. VI od. γ′ v. 1:

τοὺς σοὺς ὑμνολόγους θεοτόκε. ἐξ ὀσφύος προαχθεῖσα.

Eorum, quae hucusque recensuimus, colorum rhythmum iambicum vel trochaicum tribus quatuorve locis ducibus constituimus; sunt autem

alia breviora, in quibus concentus duorum locorum idem arguere videtur, velut:

. ⁝ . ⁝ . . ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Octoechus p. 121 od. δ′ v. 1, Ioseph. can. I od. δ′ v. 1:

Χριστός μου δύναμις καλεύεις, κύριε.
τὸ ξύλον ἤνθησε. τῇ θείᾳ νεύσει σου.

. ⁝ . . . ⁝ ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Κάθισμα I v. 1:

τὸν τάφον σου, σωτήρ. τὰ πάθη τὰ σεπτά.
σταυρῷ προσηλωθείς. ἐξέστησαν χοροί.

⁝ . . . ⁝ . – ⏑ – ⏑ – ⏑

Προσομ. II v. 5:

ἄχραντε παρθένε. φύλακα καὶ ῥύστην.
μίαν σὺν ἀγγέλοις. φύλαττε καὶ σκέπε.

⁝ . . . ⁝ . . vel ⁝ . . . ⁝ . . – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Κάθισμα V v. 6, Προσομ. IX v. 1:

νίκας χορηγῶν αὐτοῖς. ὅλην ἀποθέμενοι.
ἕτοιμοι συνέλθωμεν. ὕλην ἐβδελύξαντο.
σὲ τὸν ποιητὴν ἡμῶν. ἠχήσουσι σάλπιγγες.

. . ⁝ . . . ⁝

Κάθισμα VI v. 1:

κατεπλάγη Ἰωσήφ. ἐκ τῶν ἄνω κατελθών.
ἑκουσίᾳ σου βουλῇ. μετὰ κλάδων νοητῶς.

. ⁝ . . . ⁝ . . ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Κάθισμα VII v. 9:

ἐξίσταμαι κραυγάζειν σοι. εἰς τοῦτο γὰρ ἐλήλυθας.

. . . ⁝ . . . ⁝ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Octoechus p. 22 od. δ′ v. 2:

προβλεπτικῶς ὁ Ἀββακούμ. στεφηφορῶν ἐξ ἀκανθῶν.

⁝ . ⁝ . . – ⏑ – ⏑ –

Προσομ. VI v. 4:

εὐφημοῦμέν σε. σε γινώσκομεν. μιμησάμενος.
πρὸς τὴν ἄθλησιν. τὰ στρατεύματα. συμφραξάμενος.

Praeter anapaestica, dactylica, iambica, trochaica cola, quae byzantinis melodis accentuum concentu adducti reddidimus, vereor ut alia numerorum genera probaverint. Nam ionici dimetri, quos iam veteres poetas cum iambicis tetrapodiis commutasse constat, in rhythmica poesi Byzantinorum ab iambicis vel trochaicis colis vix distingui poterant. Cum enim non omnibus locis, quibus veteres syllabam longam posuerant, acutam Byzantini collocarent, dimetrum ionicum a minore sic ab iis exprimi par erat:

..⁝...⁝. ∪ ∪ – – ∪ ∪ – –

hoc autem schema eodem iure trochaicae tetrapodiae – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ conferri posse ex iis, quae modo exposuimus, apparet.

Bacchiacis vero quod colis conferri possit, unum colon apud Ioannem Damascenum can. IV od. θ′ v. 1 novi:

φωτίζου, φωτίζου. ὦ θείας, ὦ φίλης. ὦ πάσχα τὸ μέγα.

neque modi huic opinioni obstare videntur:



φω τι ζου φω τι ι ι ζου.

sed cum alia exemplа huius rhythmi non suppetant*), nescio an rectius hunc versiculum in duo pusilla cola φωτίζου | φωτίζου dirimas. Eodem vero modo aliquot dochmiaci rhythmi exemplа removeri posse videntur, velut Andreae Pyrrhi στιχ. v. 1:

⁝....⁝⁝.. – ∪ – ∪ ∪ – – ∪ –

ποίοις εὐφημιῶν στέμμασι. ποίοις ὑμνῳδιῶν ἄνθεσι.

..:.⁝..|.⁝⁝..

Cosmas can. XIV od. ε′ v. 1:

τὸ διὰ τὸν φόβον σου ληφθὲν κύριε. ἡ ἐπιφοιτήσασα ἰσχὺς σήμερον.

.⁝⁝..|.:.⁝ ∪ – – ∪ –| ∪ – ∪ –

Cosmas can. VI od. α′ v. 6:

τῷ σῷ ᾄδοντας μονογενεῖ. μεθ' ὧν, ἄχραντέ, σου τὴν σεπτήν.

.⁝⁝..⁝.⁝.. ∪ – – ∪ ∪ – ∪ – ∪ –

Cosmas can. XIII od. η′ v. 3:

ἰδοὺ γὰρ ἐν νεκροῖς λογίζεται. νεκρὸν γὰρ καὶ γυμνὸν θεώμενος.

.⁝⁝..|.:..⁝.. ∪ – – ∪ –|∪ – ∪ ∪ – ∪ –

Ioannes Dam. can. III od. θ′ v. 5:

νοεῖν· ὅθεν σε σὺν πόθῳ δοξάζομεν. πατρὸς πέπομφε τὴν χάριν τοῦ πνεύματος.

Namque in duobus prioribus carminibus extrema trisyllaba, in duobus posterioribus prima disyllaba vocabula ita a reliqua parte versus separare licet, ut suum membrum efficiant et duo membra, id quod non raro accidit, adversa fronte collidant. Atque haec quidem divisio modis versus Cosmae can. XIV odae quintae (vide Hirmol. p. 400) parum commendari videtur, reliquorum autem versuum modulationibus tantum non efflagitatur, siquidem duplum temporis spatium, quod priori syllabarum collidentium assignatur, suum locum in fine colorum habet. Quidquod in alio exemplo dochmiaci

*) Unum posthac cognovi versiculum similibus numeris decurrentem, Κοντάκιον I v. 1 p. 90:

ψυχή μου, ψυχή μου | ἀνάστα, τί καθεύδεις;

rhythmi Προσομ. IX v. 6 tertiae syllabae acutae in similibus tropariis duae syllabae respondent

. . ⋮ ⋮ . . vel . . ⋮ . ⋮ . . ⏑ – ⏑ – ⏑ – vel – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

δωρεὰν ἔλαβον.	ὡς κρουνοὶ βλύζουσι.	καὶ σεπτὸν σύμβολον.
ἡ ὁμόφρων σύσκηνος.	τῇ γὰρ κτίσει, δέσποτα.	οἱ προφῆται, κύριε.

unde byzantinis quoque temporibus creticam basin ἑξάσημον fuisse coniicias.

Sub finem huius capitis de colis eorumque numeris ut summam quaestionis complectar et quibus numerorum legibus carmina illigata fuerint, brevi definiam, byzantini melodi et cantores scrupulosa illa diligentia, qua veteres Graecos tritorum versuum, ut hexametri dactylici et tetrametri anapaestici, pedes dimetiendos et exaequandos curasse constat, spreta et neglecta non rhythmum, sed rhythmi quandam umbram consecuti sunt. Atque adeo numerorum natura eos latebat, ut nec magistri cola in pedes dirimenda esse monerent, nec musici lineis aliisve adminiculis ad modos in aequales particulas dissecandos uterentur. Pedum igitur divisionem cum spernerent, colorum divisio ultima erat, eaque tantum aberat ut aequabilitatem quandam partium spectaret, ut pleraque cola eiusdem troparii non modo numerorum genere, sed etiam magnitudine sibi dispares et dissimiles essent. Neque eadem, qua nostri musici, necessitate byzantini ad modos in pares pedes sive tactus dividendos adducebantur, quandoquidem omnia eorum carmina unisona erant neque nostra memoria in iis ecclesiis, quae vetera instituta observant, polyphonia in usu est. Neque vero corporis motus cum cantu consociati, quo veteres Graeci inprimis commovebantur, a christianis melodis ratio habenda erat: quantum autem illa societas ad pedes numerorum dimetiendos valuerit, ex nomine βάσεως, qua dipodiam iambicam trochaicamve significabant, et discrimine anapaestorum et melicorum poematum optime intellegas. Nam anapaesti, quorum sub ictibus choreutae incedebant, summa pedum aequabilitate conspicui erant, melici poetae trochaicos pedes cum dactylicis vel, si mavis, rationales pedes cum irrationalibus pedibus miscebant. Byzantini igitur musici neque cola in pedes dividebant neque rhythmi notionem eam, quam nos mente concipimus, noverunt; qua cum re illud quoque cohaeret, quod pausae spatium, maius an brevius sit, numquam indicant.

Quamquam autem et quantitatem syllabarum neglegebant et severis rhythmi legibus coerceri reluctabantur, tamen accentus in versibus faciendis ita disponebant, ut cola similitudinem quandam veterum versiculorum referrent; quae quidem res tam late patet, ut omnes lyricorum et scenicorum poetarum versus byzantinis modis aptari posse confidam. Neque equidem dubito, quin veterum cantilenarum modos, ut qui carminibus ipsis superstites esse soleant, byzantini melodi imitati sint, et servatorum modorum luce tenebrae veteris artis si minus discutiantur, at certe rarescant. Sed

ne similitudinem illam maiorem esse statuas, accentus non ea vis erat, ut syllaba et ictu erigeretur et duplum temporis spatium expleret. Licet enim acutas syllabas melodi non raro producerent, tamen maiori parti pedum dactylicorum byzantinorum non quaternae, ut veteribus, sed trinae temporis morae erant. Quin etiam hac ipsa re, quod acutae syllabae passim protrahebantur, rhythmi concinnitas turbata est. Sic ut exemplo rem illustrem, versui Ioannis can. IV supra allato



χο ρευε νυ υ υν και α γαλλου Cι ων.

si verborum accentum spectamus, aequales pedes sunt hi:



sed haec aequabilitas pedum hoc modo modulatione turbata est:



Etiam magis rhythmi concinnitas huius versiculi



εν ο μο νοι ϕυλαττων την ποιμνην cου

syllaba acuta modo producta modo correpta turbatur, id quod ex schematis et verborum et modorum iuxta positis clarius elucebit:

Plurimum vero in protractis melodiis (ἀρχαῖc μελῳδίαις) musici ab iis, qui verbis expressi erant, pedibus discedebant, ita tamen ut ne hic quidem vim accentus plane neglegerent.

Denique haec erat praecipua lex melodis christianis proposita nec umquam violata, ut singula cola uno saltem loco syllabam acutam haberent; neque pauci versiculi in tropariis byzantinis occurrunt, quorum accentus uno excepto omnes fluctuant. Sed in iis quoque versiculis, quorum accentus pluribus locis concinunt, unus reliquis eminere et in modulatione clarius distingui solet. Atque ex hac causa illud quoque derivandum est, quod versus politici, utpote qui ex binis membris constent, duobus locis syllabam acutam numquam non habent. Plerumque autem insignis ille accentus in extrema versiculi parte positus est, quod cum in aliis numerorum generibus, tum in anacreonticis versibus apparet, qui cum secunda et quarta sede saepe, sexta numquam non acuuntur, ut in Photii carmine p. 47:

Ἀπὸ χειλέων ὕμνον	Βάθοc cου τῆc coφίαc
προcφέρω coι, τῷ κτίcῃ,	κριμάτων τὰc ἀβύccουc
ἀπὸ καρδίας βάθουc	τίc λόγοc ἐξυμνήcει,
coι δόξαν ἀναπέμπω.	δέcποτα τῶν ἁπάντων;

Quae cum ita sint, modorum indoles in clausulis colorum maxime conspicua fit, et cantoris vox, cum in priore parte versus a pronuntiandi

tenuitate vix recedat, hic flecti et modulate moveri coepit. Clausularum autem in brevioribus melodiis (cυντόμοις μέλεcι), neque si numeros, neque si sonos spectamus, magna varietas erat; plurima his schematis comprehenduntur:

bisyllabae 

trisyllabae

quaternariae

unaquaeque autem clausula quod modo breviore, modo prolixiore modulatione expressa est, hoc cum discrimine colorum, quae priorem vel medium et eorum quae extremum periodi locum obtinent, cohaeret, qua de re sequenti capite fusius disputabimus.

Hunc igitur clausularum concentum praecipuam legem artis byzantinae esse monui, eandemque ab arte veterum poetarum graecorum haudquaquam abhorrere iudico. Atque hoc quidem in propatulo est, tria quae proposui clausularum genera aptissima esse versibus veteribus, velut primum dactylico hexametro, Sapphico hendacasyllabo, paroemiaco anapaestico, alterum trimetro iambico, trochaico septenario, dochmiaco, tertium choriambicis versibus et galliambis. Plus iam illud valet, quod veteres quoque Graeci praecipuum accentum ab exordio versus removere consueverunt, id quod cum ex duobus ultimis pedibus versus dactylici ita a politioribus poetis latinis fere compositis, ut ictus versus cum accentu verborum concineret, tum ex maiore licentia primi pedis aeolicorum et glyconeorum versuum apparet. Nam si poetae graeci ordini logaoedico, dactylico, choriambico pedem dissyllabum ἀδιάφορον, quam basin G. Hermannus vocavit, praemittunt

. . – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪

. . – ∪ ∪ – ∪ –

. . – ∪ ∪ – – ∪ ∪ – ∪ –

causa huius licentiae inde repetenda esse videtur, quod primus pes ictu vocis, apud veteres Graecos cum syllaba longa fere coniuncto, ita carebat, ut nihil referret, utrum iambico an trochaico vocabulo, spondeo an pyrrichio explereretur. Contra si elegantissimus quisque poeta latinus discrepantiam ictus numerorum et accentus verborum in clausula hexametri et versus Sapphici vitavit, hoc ea de causa fecisse probantur, quod quo maior vis ictus erat, eo magis repugnantia accentus hominum aures offendebat. Maxime vero meam opinionem de vicissitudine inter cola byzantinorum et veterum poetarum graecorum intercedente praecepta veterum scriptorum artis metricae de pedibus compositis confirmare videntur. Illi enim pluribus pedibus simplicibus unum pedem compositum (πόδα cύνθετον) effici et pedis compositi vim fere eandem, quam coli sive membri esse docuerunt, qua de re nuper

in libro Die metrische Ueberlieferung der pindarischen Oden S. 51—54 commentatus sum. Iam cum ea pedis natura sit, ut ex duabus partibus, arsi et thesi, constet, cola glyconea, ithyphallica, paroemiaca, prosodiaca nomen pedum ea re meruisse necesse est, quod singula singulis ictibus percutiebantur. Hoc autem aliter fieri non potuit, quam ut aut unam syllabam longam cuiusque coli solam ictu percussam esse aut unius pedis simplicis ictum reliquorum pedum simplicium ictus depressisse dicamus. Hoc alterum cum et ipsum veri similius sit, tum ex similitudine modorum carminum byzantinorum probabile fit, quod ut facilius perspiciatur, compluria schemata byzantinorum et veterum colorum oculis lectorum subiiciamus:

Ἄχραντε παρθένε	: . . . ⁞ .	– ◡ – ◡ ± –
Τὴν ὡραιότητα	: . . ⁞ . .	– ◡ ◡ ± ◡ –
Ὅλην ἀποθέμενοι	: . . . ⁞ . .	– ◡ – ◡ ± ◡ –
Οὐκ ἀπ᾽ ἀνθρώπων	: . . ⁞ .	– ◡ ◡ ± ◡
Καὶ τῷ πόθῳ ἠπείγετο	: · ⁞ . . ⁞ . .	– ◡ ± ◡ ◡ – ◡ –*).

DE VERSIBUS ET PERIODIS.

Versiculi, de quibus hucusque disputavimus, fere membra maioris versus vel periodi sunt. Quo modo enim psalmorum versus ex pluribus membris constant, eodem modo christianorum quoque tropariorum versus, psalmorum canticorumque sacrorum versibus illi quidem intermixti, rarissime ex singulis, plerumque ex binis trinisve colis sive membris compositi sunt. Sic quarti cathismatis duo primi versiculi et tres insequentes

Ταχὺ προκατάλαβε | πρὶν δουλωθῆναι ἡμᾶς
ἐχθροῖς βλασφημοῦσι σε | καὶ ἀπειλοῦσιν ἡμῖν | Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν.

singulas periodos efficiunt. Neque solum hebraicorum psalmorum, sed veterum quoque Graecorum carminum similitudine plura membra in unius versus vel periodi corpus coniuncta firmantur. Nam plerosque versus veteres, ut dactylicum hexametrum, iambicum trimetrum, anapaesticum tetrametrum, galliambicum et priapeium ex binis membris constare et qui maiorem in longitudinem excreverint et tribus pluribusve membris constent, periodos sive circuitus appellari novimus. Lyricos vero poetas versibus in sua cola dirimendis magis quam pedibus numerorum dimetiendis animum advertisse cum ex aliis rebus, tum ex caesura hexametri tantum non semper observata apparet. Namque si Aristoxenus Mario Victorino II, 2 teste hexametrum aut in sex pedes per monopodiam aut in tres per dipodiam dividi aut in duas partes per cola duo dirimi statuit, ultima divisio ad artem lyricorum poetarum, cuius colorum divisio propria erat, referenda

*) Alterum, non tertium pedem huius versiculi cur primario ictu feriri monuerimus, non tam ex accentibus, quam ex modis supra allatis apparet; nam cum et tertia et sexta syllaba huius versiculi acuta sit, tertiae vis dupla temporis mora augetur.

esse videtur. Hoc quoque memoratu dignum est, poetas graecos et latinos, quo recentiores aevoque christiano propiores fuerint, eo maiorem diligentiam versibus certo quodam loco incidendis caesuraque in cola dividendis impendisse. Poetae igitur byzantini quod binos pluresve versiculos in singulos versus coniungebant, vestigiis artis et hebraicorum et graecorum poetarum insistebant.

Priusquam autem de versuum periodorumque compositione disseramus, nos exponere par est, quibus rebus cognosci possit, quae membra coniungenda sint et quo loco versus cuiusque finem constitui oporteat. Atque primum omnium in libris et manu scriptis et typis repraesentatis ut cola lineolis punctisve divisa, ita versus nullo modo descripti sunt. Neque hoc quidem mirum est, siquidem iis, qui quomodo et colorum et versuum divisionem significarent nesciebant, colorum divisio potior non videri non potuit. Perpauci tantum versus ita in libris digesti sunt, ut versus finis magis quam colorum divisio appareat, versus dico canonum iambicorum Ioannis, quorum artificiosa compositio trimetris versibus in sua cola solutis obliterata esset*), et Theophanis vel Ioannis duorum carminum (v. p. 240 sq.), quae ita adornata sunt, ut literae initiales versuum acrostichidem efficiant.**) Idem igitur in byzantinis tropariis, quod in carminibus poetarum lyricorum et scenicorum usu venit; nam haec quoque carmina in codicibus inde ab grammaticorum Alexandrinorum temporibus ita exarata esse constat, ut cola sive membra divisa, versuum fines non significati sint. Quod igitur Boeckhius, cuius memoriam pie semper colam, in Pindari carminibus edendis instituit, ut quibus ex periodis quaeque stropha constaret, primus indagaret et oculis lectorum subiiceret, idem ego in his carminibus christianis digerendis spectavi, ut et versus et cola dividenda curarem. Neque tamen iisdem, quibus ille, indiciis in periodis dirimendis usus sum. Veteres enim poetae lyrici et scenici versus fine numquam vocabulum ita dissecabant, ut priorem verbi partem priori, sequenti versui posteriorem tribuerent; praeterea in fine versus sive periodi neque ancipitem syllabam neque hiatum, quem aliis locis sedulo vitabant, admittere dubitabant. His igitur tribus indiciis in veteribus carminibus utimur, ut, quo loco singuli versus finiantur, cognos-

---

*) Uno tamen loco, can. III od. θ′ v. 4, 5 melodia Hirmologii p. 407 ab iamborum divisione in hunc modum recessit:

versuum divisio: Ἰλιγγιᾷ δὲ νοῦς ἅπας σου τὸν τόκον
νοεῖν· ὅθεν σε σὺν πόθῳ δοξάζομεν.
modorum divisio: Ἰλιγγιᾷ δὲ νοῦς ἅπας σου τὸν τόκον νοεῖν·
ὅθεν σε σὺν πόθῳ δοξάζομεν.

**) In hoc quoque carmine melodia Hirmologii p. 309 a divisione versuum, qualem acrostichis indicat, ita discrepat, ut quarta periodus ab διὸ καὶ χαίρων, non ab εὐλογεῖτε πάντα, ut debebat, initium capit. Qua autem ratione Theophanes vel Ioannes (vide notas p. 236) in hoc carmine usus est, eam Georgium Siculum et S. Bartholomeum imitatos esse Pitra Hymnogr. p. 18 monet.

camus. At in tropariis byzantinorum melodorum neque ex ancipite syllaba neque ex hiatu quidquam concludi potest, siquidem et quantitatem syllabarum prorsus neglegebant et hiatum non eadem, qua veteres poetae, diligentia fugiebant. Neque finito vocabulo (τελείᾳ λέξει) tantum hic, quantum in veteribus poetis, adiuvamur. Illi enim et inprimis princeps poetarum lyricorum, Pindarus, cum saepe duo cola verbo continuato coniungerent (συνῆψαν), numquam hac licentia in fine periodorum abusi sunt; byzantini melodi, recentiorum poetarum graecorum latinorumque exemplum secuti, rarissime fine coli vocabulum diremerunt, unde finitum vocabulum tenuissimum indicium finis versus vel periodi factum est. Ne tamen umquam vocabulum in duo cola dissectum esse negem, nonnulli loci prohibent, ut

Ioannis can. I od. γ′ v. 18 > 33:

φέρων τε παντεπόπτα | τῆς ἁμαρτίας.
ἰδεῖν ἀφράστως | ἀξιωθεὶς τὸν τύπον.

Ioannis can. III od. ζ′ v. 82 > 92:

σέβειν τὸ χρυσότευκτον | ἄψυχον βρέτας.
ἔνθους Ἰωὴλ | τοῦ θεαρχικωτάτου.

Ioannis can. IV od. α′ v. 3 > 9:

καὶ ἐκ γῆς πρὸς οὐρανὸν | Χριστὸς ὁ θεός.
ἐξαστράπτοντα | καὶ χαίρετε φάσκοντα.

Ioannis can. IV od. ε′ v. 49 > 53:

καὶ ἀντὶ μύρου τὸν ὕμνον | προσοίσομεν τῷ δεσπότῃ.
οἱ ταῖς τοῦ ᾄδου σειραῖς | συνεχόμενοι δεδορκότες.

Cosmae can. V od. α′ v. 4 > 16. v. Hirmologium p. 321:

δυσμενεῖς ὁρῶντες | ἐν αὐτῷ ὑποβρυχίους.
ὡς ὀφθήσομαι | λαμπρότερον ἡλίου ἐξαστράπτων.

Cosmae can. VI od. α′ v. 4 > 10:

ἐξαρχούσης Μαριὰμ | μετὰ χορῶν καὶ τυμπάνων.
ἐκ περάτων, θεοτόκε, | σοι παρέστησαν ἄρδην.

Sergii v. 11 > 83 > 203:

ἐξίστατο καὶ ἵστατο | κραυγάζων πρὸς αὐτὴν τοιαῦτα.
ἐν τῇ γαστρὶ Μαρίας βοσκηθέντα, | ἣν ὑμνοῦντες εἴπον.
ἡμεῖς δὲ τὸ μυστήριον θαυμάζοντες | πιστῶς βοῶμεν.

His autem in versibus canendis non verba dissecant, id quod ex ea, qua nos in periodis veterum poetarum dividendis utimur, ratione concludere possis, sed nunc hoc, nunc illo loco, ut lineolis rectis significavimus, cola dividunt, ut ἐν τελείᾳ λέξει unumquodque colum finiatur. Neque hoc in iis

versibus solis faciunt, qui eodem loco dividi nequeunt, nisi verbum dissecare velis, sed etiam in aliis, in quibus mobili caesura rectius sententia dividitur, ut in

Ioannis can. VIII od. ξ' v. 126 > 139:

πέτραι δὲ ἐςχίσθηςαν· | διὰ ςταυροῦ γὰρ ἤρθη ὁ δίκαιος.
χαῖρε ἡ παγκόςμιος χαρὰ, | δι' ἧς ἡμῖν ἐξανέτειλεν.

Ioannis can. IV od. η' v. 99 > 103, conf. Hirm. p. 380:

ἐν ᾗ εὐλογοῦμεν | Χριστὸν εἰς τοὺς αἰῶνας.
ὑμνοῦντες αὐτὸν | ὡς θεὸν εἰς τοὺς αἰῶνας.

Quod vero aliam nos in veteribus carminibus dividendis rationem inimus, nescio an falso faciamus et veteres cantores Pindari Ol. I, vv. 1, 31 varie dividentes eandem, quam byzantini, rationem secuti sint:

Ἄριστον μὲν ὕδωρ ὁ δὲ | χρυςὸς αἰθόμενον πῦρ.
χάρις δ' ἅπερ ἅπαντα τεύχει | τὰ μείλιχα θνατοῖς.

Librarii certe codicum quod saepissime respondentes versus strophae et antistrophae sic diviserunt, ut ne vocabuli partes discinderentur, non oscitasse, sed morem sua aetate comprobatum secuti esse videntur.

His igitur subsidiis, quibus Pindari Aeschyli Aristophanis cantica dividentes adiuvamur, in tropariis christianorum poetarum digerendis destituti, modorum indiciis, manifestioribus illis quidem sed magis fluctuantibus, utimur. Haec igitur Paranicas meus secutus, quo loco coli, quo versus finis statuendus esset, mihi indicavit cantuque comprobavit. Modulationum vero libros perscrutatus rationes amici fere ubique μαρτυρίαις, id est altitudinis vocis explicatis notationibus, periodis modorum interpositis, confirmatas intellexi; neque tamen numquam Paranicae et librorum divisiones secum pugnabant, quod non mirabitur, qui quantopere cantores omnium temporum modulationes paululum ex suo arbitrio variare soleant, reputaverit. Denique licentiae quaedam metricae, ut pes creticus ⁝ . . cum choriambico ⁝ . . ., vel spondaicus ⁝ . cum cretico ⁝ . . in fine periodi commutatus, de quibus infra explicatius disseram, viam a Paranica meo patefactam muniverunt. Atque hae quoque licentiae cum modorum natura cohaerent; mediis enim in versibus cola brevioribus clausulis claudebant, in ultimis, cum prolixioribus vocis flexibus syllabarumque numerum superantibus uterentur, nihil obstaculo erat, quominus pro tribus syllabis quatuor ponerent.

Colorum vero et versuum divisionem ut animis oculisque hominum patefacerem, duplicem rationem inii: aut unum in versum cola ita coniunxi, ut lineola membra versus distinguerem, aut secundum et tertium membrum amplius a margine removi; neque certis quibusdam causis, ut alteram utram rationem sequerer, commotus sum, sed typothetarum commodis nec non arbitriis obtemperavi. Sic primi versus Ioannis can. VII et Iosephi can. II, quamvis iisdem modis utantur, modo hoc, modo illo modo exarati sunt:

Ἀνοίξω τὸ στόμα μου
καὶ πληρωθήσεται θαύματος.
Χριστοῦ βίβλον ἔμψυχον | ἐσφραγισμένην σε πνεύματι.

Praeterea cum duorum vel trium versuum modi haud raro ita cohaereant, ut maior incisio in fine extremi versus fiat, hanc quoque rationem typographicis adminiculis hoc duplici modo indicavi p. 81 et 129:

Ὦ τοῦ παραδόξου θαύματος
ὦ μυστηρίου καινοῦ!
ὦ φρικτῆς ἐγχειρήσεως!
ἡ παρθένος ἔλεγεν.
Βασιλικῶς μοι ὑπέγραψας | ἐλευθερίαν βαφαῖς
ἐρυθραῖς τῶν δακτύλων σου | αἱματώσας, δέσποτα.

Atque hanc quidem complurium versuum comprehensionem, quam vetere nomine περικοπῆς dicere mihi liceat, veteribus quoque poetis cognitam et usurpatam fuisse nuper intellectum et ab Rossbachio Westphalio Brambachio Schmidtio subtili iudicio demonstratum est. Atque in veteribus quidem carminibus huius rei argumenta ex numerorum indole et sententiarum finibus repetenda sunt, in byzantinis aperta et luculenta testimonia modulationes praebent, sed ne sententiarum quidem indicia plane desunt; pleraeque enim pericopae maiore interpunctione clauduntur, id quod strophis cum aliis tum Προσομοίων IV inter se comparatis manifestum fit.

Huic secundo capiti de versibus et periodis hunc finem imponere constituimus, ut aliquot exempla versuum cum suis schematis apponerem, quibus in exemplis selegendis id potissimum egi, ut byzantinos melodos veterum poetarum versus suo more imitatos esse demonstrarem. Modos autem versuum qui cognoscere velit, ex indice carminum, quo quaeque melodia exstet, cognoscat.

VERSUS DACTYLICI ET ANAPAESTICI.

: . . ⁝ . . ⁝ . | : . . ⁝ . . ⁝ . – ◡ ◡ – ◡ ◡ – – – ◡ ◡ – ◡ ◡ – –
ἡ μετὰ τόκον παρθένος | καὶ μετὰ θάνατον ζῶσα (Cosm. VI θ′, 5)

: . . ⁝ . . ⁝ . | : . . ⁝ . – ◡ ◡ – ◡ ◡ – – – ◡ ◡ – –
αἱ μυροφόροι γυναῖκες | ὄρθρου βαθέος (Ἰδιομ. τοῦ Πάσχα v. 15)

: . . ⁝ . . ⁝ . | : . . ⁝ . . – ◡ ◡ – ◡ ◡ – – – ◡ ◡ – ◡ –
τῶν οὐρανίων ταγμάτων | τὸ ἀγαλλίαμα (Προσομ. II, 1)

: . . ⁝ . . ⁝ | : . . ⁝ . . ⁝ . – ◡ ◡ – ◡ ◡ – – ◡ ◡ – ◡ ◡ – –
ἡ βασιλὶς τῶν ὡρῶν | τῇ λαμπροφόρῳ ἡμέρᾳ (Ioan. V, α′ 9, Hirm. 385)

. . ⁝ . . ⁝ . | . ⁝ . . ⁝ ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ –
ἐκ πατρὸς γεννηθέντι | ἀρρεύστως υἱῷ (Cosm. VI θ′, 5) *)

*) Hic versus utrum in duo cola dissecandus sit necne, dubitari posse video, quoniam nec modis (vide Hirm. 261), ut versum dividamus, cogimur, et quaternum pedum anapaepaesticorum colis nihil frequentius apud veteres poetas fuisse constat. Sed caesura post

.⁝..⁝.|..⁝..⁝. ∪ _ ∪ ∪ ⏑ _ ∪ ∪ _ ∪ ∪ _ _

εἰκόνι λατρεύειν | μουσικῆς συμφωνίας (Ioan. V, ζ′, 77)

.⁝..⁝..|⁝..⁝..⁝ ∪ _ ∪ ∪ _ ∪ ∪ _ ∪ ∪ _ ∪ ∪ _

ταχὺ προκατάλαβε, | πρὶν δουλωθῆναι ἡμᾶς (Κάθισμα IV, 1)

VERSUS TROCHAICI ET IAMBICI:

⁝.⁝.⁝...⁝ |.⁝...⁝. tetram. troch. acatalecticus.

ὁ βουλήσει ἅπαντα ποιῶν | ὁ καὶ μετασκευάζων (Ioan. VIII, η′, 146)

..⁝.⁝..|...⁝.⁝.. tetram. troch. catal.

φαεσφόρον ἄγγελον | διαπρυσίως λέγοντα (Ioan. IV, δ′, 30)

⁝...⁝..|...⁝...⁝ tetram. troch. catal.

πάντας συνηγάγετο | πρὸς εὐφροσύνην τοὺς πιστούς (Cosm. VI, α, 3)

⁝...⁝ |...⁝.⁝. hexapodia trochaica.

ἔσωσε λαὸν | θαυματουργῶν δεσπότης (Ioan. I, α′, 1)

⁝...⁝ |.⁝...⁝. hexapodia trochaica.

ῥᾳον σιωπήν· | τῷ πόθῳ δὲ, παρθένε (Ioan. I, θ′, 117)

⁝.⁝..|.⁝...⁝. hexapodia trochaica.

ἄγων ἅπαντας | πρὸς σέλας ζωηφόρον (Ioan. I, δ′, 39)

⁝...⁝..|.⁝.⁝. hexapodia trochaica.

σύμφωνον ἐθρόησεν | ὀργάνων μέλος (Ioan. III, ζ, 81)

..⁝.⁝..|...⁝. hexapodia trochaica.

φωταυγὸς ἐξώρουσεν | ἀνθρώπων γένους (Ioan. II, ϛ′, 69)

...⁝.⁝..|.⁝...⁝. tetram. iamb. catal.

τὸν λίθον θεωρήσασαι | ἀποκεκυλισμένον (Constant Ἑξαποστ. v. 8)

...⁝...⁝ |...⁝...⁝ tetram. iamb. acatal.

στεφηφορῶν ἐξ ἀκανθῶν | πεφοινιγμένος τὴν στολήν (Ioan. VIII, δ′, 52)

...⁝...⁝ |...⁝.. heptapodia iambica.

τῇ ὑπερμάχῳ στρατηγῷ | τὰ νικητήρια (Sergius cont. v. 1)

.⁝...⁝..|.⁝...⁝.⁝. tetram. iamb. hypercatal.

ἐξίστατο καὶ ἵστατο | κραυγάζων πρὸς αὐτὴν τοιαῦτα (Sergius hym. acath. 5)

...⁝.|.⁝.⁝.|...⁝.. ∪ _ ∪ _ _ | ∪ _ ∪ _ _ | ∪ _ ∪ _ ∪ _

τῇ τῶν ὁσίων | τριφθόγγῳ λύρᾳ | ἀντιφθεγγόμενος (Cosm. VI, ζ′, 104)

---

septimam syllabam nusquam non facta divisioni versus favere videtur; quod indicium secutus persaepe etiam alias minutiora cola dividere possis, ut Theophanis στιχ. v. 1 p. 122:

πανεύφημοι μάρτυρες | ὑμᾶς. οὐδεὶς ἀναμάρτητος, | οὐδείς.
σοῦ, σῶτερ, δεόμεθα | τῆς σῆς ὑπὲρ τὰ ὁρώμενα | τὰ σά.

Neque codices in his minusculis colis dividendis non variant. Sic primi versus duae extremae syllabae a reliquo versu in libris prelo excusis non separantur, in codice D disiunctae inveniuntur. Causa autem huius inconstantiae inde repetenda esse videtur, quod in prolixioribus (ἀργοῖς) melodiis versum in plura, in brevioribus melodiis (συντόμοις) in pauciora cola dividi par erat.

..:..|.:...:..|.:.:.. – ◡ – ◡ – |◡ – ◡ – ◡ – ◡ – |◡ – ◡ – ◡ –

οὐκ ἐλάτρευσαν|τὴν κτίσιν οἱ θεόφρονες|παρὰ τὸν κτίσαντα (Ioan. VII, ζ′, 94)

:...:..|:...:.. – ◡ – ◡ – ◡ – |– ◡ – ◡ – ◡ –

τότε μὲν τυπούμενος, | νῦν δὲ ἐνεργούμενος (Ioan. VII, η′, 116)

...:...:|:...:. ◡ – ◡ – ◡ – ◡ – |– ◡ – ◡ – ◡

τὴν ἐκ παρθένου σου, Χριστὲ, | φέγγος ἀστραπῆς σου (Cosm. VI, δ′, 39)

:...:.|.:.:.. – ◡ – ◡ – ◡ |◡ – ◡ – ◡ –

καὶ μετεωρήσας | ἀσχέτως βρίθουσαν (Octoech. p. 100 od. γ′ v. 2)

..:.|.:..:..

τὴν εἰρήνην | παράσχου μοι, φιλάνθρωπε (Cosm. XII, α′, 4).

Duobus in ultimis versibus duo cola ita collidunt, ut eorum coniunctione id numerorum genus efficiatur, quod aliis exemplis iam illustrabo:

VERSUS LOGAOEDICI ET MIXTI:

.:.:..:.|:.:..:. ◡ – ◡ – ◡ ◡ – ◡ |– ◡ – ◡ ◡ – ◡

ὁ τοῦ φωτὸς διατμήξας | τὸ πρωτόγονον φάος (Cosm. V, ε′, 62)

:..:..|:..:.. – ◡ ◡ – ◡ – |– ◡ ◡ – ◡ –

τὴν ὡραιότητα | τῆς παρθενίας σου (Κάθισμα II, 1)

:..:.|:....:. – ◡ ◡ – ◡ |– ◡ ◡ – ◡ – ◡

νῦν σοι τελοῦσιν | ὕμνον ὡς εὐεργέτῃ (Ioan. I, ε′, 53)

:..:.|..:..:. – ◡ ◡ – ◡ |– ◡ – ◡ ◡ – ◡

ἔλθοις πορίζων | εὐχερῆ τε τὴν τρίβον (Ioan. I, ε′, 4)

:...:..|:..:..:.. – ◡ – ◡ – ◡ – |– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ –

ἔδωκας σημείωσιν | τοῖς φοβουμένοις σε, κύριε (Προσομ. V, 1)

.:...:|..:..:. ◡ – ◡ – ◡ – |◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡

τὸν τάφον σου, σωτὴρ, | στρατιῶται τηροῦντες (Κάθισμα I, 1)

....:...:|:..:..:..:.. – ◡ – ◡ – ◡ – ◡ – |– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ –

σοῦ ἡ τροπαιοῦχος δεξιὰ | θεοπρεπῶς ἐν ἰσχύι δεδόξασται (Ioan. VIII, α′, 1)

:...:..|:..:.. – ◡ – ◡ – ◡ – |– ◡ ◡ – ◡ –

ὅτε τὸ ἐπίγειον | σκότος ἠμαύρωσε (Προσομ. VII, 3)

:..:..:|.:.:.:. – ◡ ◡ – ◡ ◡ – |◡ – ◡ – ◡ – ◡

τῷ ἀρχηγῷ τῆς ζωῆς | Χριστῷ συνόντες παῖδες (Cosm. V, ζ′, 110)

:..:..:.|:.:.. – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ |– ◡ – ◡ –

χαῖρε, λυχνία καὶ στάμνε, | μάννα φέρουσα (Ios. II, δ′, 45)

:..:.|:..:.|:..:.. – ◡ ◡ – ◡ |– ◡ ◡ – ◡ |– ◡ ◡ – ◡ –

ῥάβδος εἰς τύπον | τοῦ μυστηρίου | παραλαμβάνεται (Cosm. I, γ′, 33)

.:.:.|...:.|:.:..:. ◡ – ◡ – ◡ |◡ – ◡ – ◡ |– ◡ – ◡ ◡ – ◡

παρθένος τίκτει | καὶ μετὰ τόκον | πάλιν μένει παρθένος (Καθ. VI, 8).

Antequam ad tertium caput huius libri, quo de compositione stropharum agam, progrediar, hoc loco commentationem de locis legibus numerorum

repugnantibus inserere visum est. Nam qui carmina byzantina edenda susceperit, eum legibus, quas de numero syllabarum, accentuum concentu, caesurae constantia exposui, tamquam regula in versibus digerendis et verborum textu constituendo uti par et consentaneum est. Equidem non solum illas leges primus aperui, sed etiam earum norma in multis locis, qui turbati et corrupti in editionibus ferebantur, emendandis et rectius disponendis nec non in variis lectionibus codicum examinandis usus sum. Quamvis enim libri in vulgaribus carminibus magnopere inter se dissidere soleant, tamen plerumque res ita comparata est, ut neutra lectio legibus numerorum repugnet. Sic, ut unum ex multis exemplum afferam, in Προσομ. II, γ′, 11 hoc modo codices G et F variant:

ὥσπερ δὲ πλῆκτρον τὴν γλῶτταν ἀνακινῶν | τῇ βροντοφώνῳ σου γλώττῃ.
ὥσπερ δὲ πλῆκτρον τὴν γλῶτταν ἀναφωνῶν | τῇ βροντοφόρῳ σου γλώττῃ.

En duo verba aliter alio in codice scripta, ita tamen variata, ut utraeque lectiones syllabarum et numero et accentu concinant. Sed praeter eos locos, quibus libri varias nec modis obstrepentes lectiones suppeditabant, et praeter illos, quorum errores facile removeri poterant, alii occurrebant, qui cum leges numerorum turbarent, tamen corruptelae suspitionem non admittere videbantur. Atque minus quidem illa troparia animum offendebant, quorum accentus non ex omni parte concinebant. Nam cantores graecos cantilenas ita canentes ipsi audivimus, ut non solum praecipuos accentus, quorum concentu numeri modique cuiusque versus continentur, clara et distincta voce exprimerent, sed ne reliquos quidem prorsus neglegerent, quos cum aliis locis aliis in tropariis ponere poetae non dubitarent, factum est, ut etiam numeri versuum sibi respondentium paululum variarent. Idem autem etiam apud veteres Graecos usu venisse, inde concludas, quod duarum formarum versus glyconei

– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ –

altera, ut quae assurgentem vocem melius adiuvet, fere in exordio strophārum, priore in mediis et ultimis periodis utebantur, cuius rei cum innumera documenta afferri possint, unum carmen Pindari Nem. II laudo. Praeterea hoc quoque accidit, ut cum protypi carminis alios alii praecipuos accentus esse ducerent, harum discrepantium opinionum notae in similibus (προσομοίοις) tropariis expressae sint. Sic versiculi celeberrimi Ὅλην ἀποθέμενοι (vide p. 76) alii praeter quintam syllabam primam quoque numquam non acuebant, alii, cum in quintae syllabae accentu solo legem modorum positam esse sensissent, secundae quam primae syllabae secundas partes tribuere malebant, id quod ex primis versiculis duorum similium carminum clarius elucebit:

στιχ. ζ′. ὅλην ἀποθέμενοι.
ὅλως ἀγαπήσαςα.
παίδων ἐστερήθητε.

στιχ. ε′. ὁ πλάστης μου κύριος.
στολὴν θεοΰφαντον.
παράδειςε πάντιμε.

et simile quiddam in tertio colo eiusdem carminis factum est:

στιχ. β′. καὶ τῷ θείῳ πνεύματι.
τοῦ ἁγίου πνεύματος.
καὶ θυμὸν κινήσαντες.

στιχ. ϛ′. τοῦ πνεύματος ὄργανα.
πυρὸς κατεφρόνησας.
ὄνυξι ξεόμενοι.

Sed hae discrepantiae versuum sibi respondentium leviusculae sunt et ex modorum variationibus facilem explicatum habent. Multo gravius illud est, quod etiam numero syllabarum sat multi versus sibi respondentes differunt, cuius rei supra iam mentionem inieci. Atque longe plurimae quidem discrepantiae ad clausulas versuum pertinent, et cum protractis modis clausularum cohaerent. Inprimis pes creticus, ut metrica nomina ad rhythmica carmina transferam, tam saepe cum choriambico commutatus invenitur, ut pauca exempla afferre satis esse ducamus:

Καθ. IV, 1: ταχὺ προκατάλαβε | πρὶν δουλωθῆναι ἡμᾶς.
τὰ ῥεῖθρα ἡγίασας | τὰ Ἰορδάνεια.
Καθ. IV, 6: μόνε φιλάνθρωπος.
ῥύσαι ἡμᾶς πειρασμῶν.
Προσομ. II, 1: τῶν οὐρανίων ταγμάτων | τὸ ἀγαλλίαμα.
ἡ θεοκίνητος λύρα | τῶν οὐρανίων ᾠδῶν.
Roman. vv. 6, 47: καὶ διδάσκων, φησὶν, | οὕτος μέγας ἐστίν.
καὶ μικρὸν ὡς δειλοῖς | αἰνιττόμενος. conf. vv. 11, 19,
Theophan. I, γ′, 4: ἡ τῶν ἐθνῶν ἐλπὶς ὁ Χριστός. [22, 24.
τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον. conf. ε′, 4. ϛ′, 6. ζ′, 3. η′, 2, 3.
Ioannes VII, ζ′, 3: ἀλλὰ πυρὸς ἀπειλὴν | ἀνδρείως πατήσαντες.
τὴν μνήμην σέβοντες | πρεσβύται καὶ ἄρχοντες.
Cosm. XIII, α′, 3: ὑπὸ γῆν ἔκρυψαν | τῶν σεσωσμένων οἱ παῖδες.
ἐν κατωτάτοις τῆς γῆς | ἀπὸ γάρ σου οὐκ ἐκρύβη.

Cognata huic discrepantiae altera est, qua hos pedes – ⏑ ⏑ – et – ⏑ ⏑ ⏑ – in clausulis commutaverunt; sed ut illius creberrima, sic huius paucissima exempla sunt, velut

Καθ. VII, 1: τὸ προσταχθὲν μυστικῶς.
ὁ ἐπὶ θρόνου Χερουβίμ.
Ioan. VI, α′, 1: τῷ σωτῆρι θεῷ | τῷ ἐν θαλάσσῃ λαόν·
Ἄισωμεν πάντες λαοὶ | τῷ ἐπὶ ὤμων Χερουβίμ.
Andr. I, α′, 3: θεὸς τοῦ πατρός μου | καὶ ὑψώσω αὐτόν.
τῇ νῦν θρηνῳδίᾳ | ἀλλ᾽ ὡς εὔσπλαγχνός μοι δός.

Plus offensionis commutatio pedis spondaici cum cretico in clausulis versuum habere videtur, et erat, cum coniecturis huius discrepantiae exempla removere tentarem. Sed cum protracta spondaicae clausulae modulatione haec quoque commutatio excusari videatur et simillimae licentiae exempla in latinis sequentiis crebro occurrant (conf. K. Bartsch Die latein. Sequenzen des Mittelalters S. 41 f.), non iam versus tentare conabor, quales sunt

Καθ. VI, 3, 10: ἐν τῇ ἀσπόρῳ συλλήψει σου, | θεοτόκε.
τὸν διὰ λόγου τὰ πέρατα | συστησάμενον.

Ioan. IV, η′, 1: αὕτη ἡ κλητὴ καὶ ἁγία ἡμέρα.
δεῦτε τοῦ καινοῦ τῆς ἀμπέλου γεννήματος.
Ioan. V, γ′, 2: τῶν ἐντολῶν σου.
ὁ ἀπερίγραπτος.
Cosm. V, θ′, 1: ὁ τόκος σου ἄφθορος ἐδείχθη.
καινὰ κατιδόντες καὶ παράδοξα.

Denique ad clausulae licentias hos quoque pedes $- \breve{} - \breve{}$ et $- \breve{} \breve{} - \breve{}$ commutatos rettulerim, ut

Καθ. VI, 3: ἐν τῇ ἀσπόρῳ συλλήψει σου | θεοτόκε.
καὶ πῶς γὰρ τοῦτον οὐκ ἔμελλον | φρίξαι καὶ δῦναι.
Ioan. V, α′, 1: ᾄσωμεν πάντες λαοὶ | τῷ ἐκ πικρᾶς δουλείας.
ἡ βασιλὶς τῶν ὡρῶν | τῇ λαμπροφόρῳ ἡμέρᾳ.
Cosm. V, θ′, 4: ἐπὶ γῆς καὶ ἀνθρώποις συνανεστράφη.
καὶ βραχίων, δεξιὰ ὑφίστου, σθένος.

Quidquid licentiae hucusque comprobavi, cum prolixitate modorum clausularum ita cohaeret, ut cum in aliis tropariis una syllaba cum duplici vocis flexu pronuntianda esset, in aliis duo illi soni in duas syllabas dispertirentur. Simili autem licentia veteres quoque poetas graecos usos esse certis numerorum indiciis concludi potest. Neque enim casu aut temere factum est, ut in dochmiacis periodis pro pede cretico ultimi dochmii molossum ponerent, ut Aesch. Choeph. 935, Eur. Ion 678, Orest. 1490:

ἔμολε μὲν δίκα | Πριαμίδαις χρόνῳ | βαρύδικος ποινά.
ὅταν ἐμὰ τύραν|νον εὐπαιδίαν | πόσιν ἔχοντ' εἰδῇ.
ἔμολε δ' ἁ τάλαιν' | Ἑρμιόνα δόμους | ἐπὶ φόνῳ χαμαι|πετεῖ ματρὸς, ἃ| νιν ἔτεκεν τλάμων.

Nam cum modorum varietatem syllabarum quantitate exprimere studerent nec tamen longius ab recepta pedis dochmiaci forma recedere auderent, protractam clausulae modulationem lenissimo indicio syllabae ancipitis $\breve{} - - \breve{} -$ indicaverunt. Quamquam prolixas clausularum modulationes latius apud veteres poetas patuisse et ad simpliciores versuum formas variandas plurimum valuisse mihi persuasum est; sed hanc quidem rem ea, qua par est, diligentia persequi non huius loci esse videtur.

Licentiae in fine versus admissae contraria est alia multo rarior, qua usi melodi aut anacrusi versum auxerunt aut modo ab iambico, modo ab anapaestico pede exorsi sunt. Sic Romanus in longa oda viginti quatuor stropharum quod octavo versui nunc decem, nunc undecim syllabas inclusit, hanc duplicem formam

. : . . ⁞ . . ⁞ . . . . : . . ⁞ . . ⁞ . .
82 σταυρῷ ἁλιεύειν διδάχθητι. 49 ἐγὼ μόνος τὸν κόσμον νενίκηκα.

ante oculos habuisse videtur, quo simili modo veteres poetas primo pede trimetri modo iambico, modo anapaestico usos esse constat. Confer praeterea Cosm. XI, ζ′, 4; Προσομ. VIII, δ′, 1.

Denique ne media quidem pars versus ea licentia prorsus caret, ut anapaestus iambi, vel dactylus trochaei locum obtineat, velut

Προσομ. II, 3: ἄχραντε παρθένε | σῶσον ἡμᾶς.
φύλακα καὶ ῥύστην | ὑμνοῦμεν πιστῶς.
Ioan. VI, α΄, 1: τῷ σωτῆρι θεῷ.
ᾄσωμεν πάντες λαοί.
Theophanes I, η΄, 1: ἄκουε κόρη παρθένε ἁγνή.
νόμος οὗτος θεόθεν βροτοῖς.
And. I, ϛ΄, 3: καὶ ἀνήγαγεν ἐκ φθορᾶς | τὴν ζωήν μου.
ἵνα μὴ τὸ χάσμα τῆς γῆς | σὲ συγκαλύψῃ.

Sed rara sunt huius licentiae exempla nec scio an librariorum errori debeantur, praesertim cum ne modis quidem satis excusationis habeant. Neglegentia vero melodorum factum est, ut hic illic versus toto pede abundet, ut

Cosm. I, α΄, 5: Φαραὼ τοῖς ἅρμασιν | κροτήσας ἤνωσεν.
κατελύθη φρύαγμα, | ἀπάτη ἀνετράπη δέ.
Cosm. IV, η΄, 3: τῇ φλογὶ δὲ μὴ λωβηθέντες.
πρὸ προσώπου τοῦ θείου.
Cosm. V, α΄, 4: δυσμενεῖς ὁρῶντες ἐν αὐτῷ ὑποβρυχίους.
ἐπιγνώσεσθε φωτὶ, ὡς ἐξαστράπτω ἀπροσίτῳ.
Ioan. VIII, ζ΄, 5: ἐν τῇ γαστρί σου ὁλόκληρον, δι' ἧς ἡμῖν ἐξανέτειλεν.
διὰ σταυροῦ γὰρ ἤρθη ὁ δίκαιος καὶ κραταιᾷ χειρὶ συν-

conf. Ioan. IV, η΄, 1; VI, α΄, 4; Theoph. I, θ΄, 1. [ανέστησας.

Sed in his omnibus locis ne subtiles rationes musicas scruteris, poeta grata quadam neglegentia severitatem legis violasse videtur, qua in re hoc mirum accidit, quod in latinis sequentiis similiter totos pedes contra numerorum regulam interpositos Bartschius l. l. indagavit.

DE STROPHARUM COMPOSITIONE.

Pluribus ex versibus coniunctis strophae sive, ut byzantino nomine utar, troparia efficiuntur. Veterum Graecorum strophae aut paribus aut disparibus versibus constabant, sed longe plures disparum versuum erant, siquidem pares versus in epicis poematis et diverbiis (ἐν ποιήμασι κατὰ στίχον) continuare, dispares in lyricis carminibus stropharum periodis includere consueverant. Christiani autem melodi ita in duas partes discesserunt, ut latini et syri fere ex paribus, graeci ex disparibus colis versibusque strophas componerent. Nam praeter Anacreontea, quae, cum veteris ludicrae poesis formam imitarentur, ex dignitate carminum ecclesiasticorum excludebantur, unum tantum carmen graecum novi, cuius strophae ex paribus colis constant, megalynaria dico die festo τῆς ἁπαντῆς Χριστοῦ (2. Febr. vide p. 84) cantata:

Ἀκατάληπτόν ἐστιν
τὸ τελούμενον ἐν σοί
καὶ ἀγγέλοις καὶ βροτοῖς,
μητροπάρθενε ἁγνή.

Ἀγκαλίζεται χερσὶν
ὁ πρεσβύτης Συμεὼν
τὸν τοῦ νόμου ποιητὴν
καὶ δεσπότην τοῦ παντός.

Huius enim carminis strophis ex quatuor trochaicis dimetris catalecticis compositis cum hymnis latinis summa similitudo est, nulla cum byzantinis carminibus, quo aegrius ferimus neque auctorem carminis memoriae proditum esse, neque quo tempore scriptum sit liquere. Canonum autem iambicorum Ioannis Damasceni strophae et ipsae ex paribus versibus constare videntur; nam singulae strophae, si syllabarum quantitatem spectamus, ex quinque trimetris iambicis constant, quorum quintus quasi epodi vice fungitur strophae et antistrophae, ex binis versibus illis quidem compositis, subiuncti; sed ne species artificiosae compositionis metricae te fallat, canonum illorum cantus accentibus verborum ita aptatus est, ut ex dissimillimis versibus singulae strophae constent, quod quo luculentius appareat, secundi canonis iambici primae strophae rhythmicum schema metricis notis expressum hic apponam:

– ⏑ ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
– ⏑ ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
– ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
– ⏑ ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
– ⏑ – ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

Στείβει θαλάσσης | κυματούμενον κάλον,
ἤπειρον αὖθις | Ἰσραὴλ δεδειγμένον·
μέλας δὲ πόντος | τριστάτας Αἰγυπτίων
ἔκρυψεν ἄρδην | ὑδατόστρωτος τάφος
ῥώμῃ κραταιᾷ | δεξιᾶς τοῦ δεσπότου.

Quid? quod hoc quoque paene singulare et proprium horum canonum iambicorum est, quod singuli versus ex pari numero syllabarum constant; plerorumque enim troparium versus non modo numeris modisque, sed etiam magnitudine dispares sunt, neque plura quam duo carmina ex hac parte iambicis illis canonibus comparanda novi, Sergii troparium Τῇ ὑπερμάχῳ στρατηγῷ (vide p. 140) ex sex versibus compositum, qui cum versus septenarii iambici speciem imitentur, modo tredecim, modo quatuordecim syllabis constant, et Constantini Porphyrogennetae Ἐξαποστειλάρια p. 110 sqq., quorum ex septenis versibus quini (1. 2. 3. 4. 7) trochaici tetrametri catalectici sive quindecim syllabarum magnitudinem habent, bini reliqui (5. 6) coniuncti totidem syllabarum sunt.

Denique ne rhythmi quidem genere cola atque versus singulorum troparium ita inter se concinunt, ut iisdem numeris sive dactylicis sive iambicis sive logaoedicis vox cantoris ab initio usque ad finem decurrat. Nulla igitur carmina byzantina exstant, quae veterum Graecorum συστημάτων ἐξ ὁμοίων similia sint; quamquam hoc nonnumquam factum videmus, ut unum quoddam rhythmi genus praevaleat et strophae certam quandam notam rhythmicam imprimat. Sic in Anastasii carmine a Pitra Iur. eccl. graeci hist. II, 286 edito quatuor primi et duo extremi versus anapaesticos numeros prae se ferunt:

Ἰδοὺ νῦν, ἀδελφοί, ἡσυχάσατε,	⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –
τῷ κειμένῳ λοιπὸν μὴ ὀχλήσατε,	⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –
ἠρεμήσατε, θόρυβον*) λύσατε,	⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –
καὶ τὸ μέγα μυστήριον βλέπετε,	⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –
φοβερᾷ ὥρᾳ σιωπήσατε,	⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – (?)
ἵνα μετ' εἰρήνης	– ⏑ – ⏑ – –
ἡ ψυχὴ ἐξέλθῃ,	– ⏑ – ⏑ – –
εἰς ἀγῶνα γὰρ μέγαν συνέρχεται,	⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –
καὶ φόβῳ πολλῷ δυσωπῇ τὸν Χριστόν.	⏑⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

Prosodiaci vero sive dactylici versus anacrusi aucti plerique versus egregiae primae odae septimi canonis Ioannis Damasceni sunt:

⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –
⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –
– ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ – ⏑ – –
⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ –

Ἀνοίξω τὸ στόμα μου | καὶ πληρωθήσεται πνεύματος,
καὶ λόγον ἐρεύξομαι | τῇ βασιλίδι μητρί·
καὶ ὀφθήσομαι | φαιδρῶς πανηγυρίζων,
καὶ ᾄσω γηθόμενος | ταύτης τὰ θαύματα.

Iambica autem dicas aposticha p. 84:

Λυθέντες τῶν δεσμῶν	⏑ – ⏑ – ⏑ –
τῆς πάλαι καταδίκης,	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
πιστοὶ σταυροῦ τῷ ξύλῳ	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
τὸν ἐν αὐτῷ παγέντα	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
Χριστὸν δοξολογήσομεν.	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Iambici cum trochaicis versibus consociati sunt in Theodori στιχ. p. 83:

Τὴν μνήμην ἐκτελοῦντες τῶν μαρτύρων	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
κυρίῳ ἀναπέμψωμεν τοὺς ὕμνους	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
σήμερον | ἐνθέως εὐφραινόμενοι.	– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

et inverso ordine in ἐγκωμίοις magni sabbati (Τριῳδ. 405):

Δεῦρο πᾶσα κτίσις	– ⏑ – ⏑ – ⏑
ὕμνους ἐξοδίους	– ⏑ – ⏑ – ⏑
προσοίσομεν τῷ κτίστῃ.	⏑ – ⏑ – ⏑ – –

et in pusillo tropario Τριῳδ. p. 233:

Τὸν σταυρόν σου προσκυνοῦμεν, δέσποτα,	– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
καὶ τὴν ἁγίαν σου ἀνάστασιν δοξάζομεν.	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Hoc quoque nonnumquam factum est, ut iambici vel trochaici versiculi logaoedica clausula claudantur, ut in apolytikio II p. 88:

*) θορύβου Pitra; idem falso ἡ ψυχὴ ἐξέλθῃ post εἰς ἀγῶνα γὰρ μέγαν συνέρχεται posuit, aliaque numerorum legibus non perspectis temere mutavit.

Ὁ εὐσχήμων Ἰωσὴφ	⏑ – ⏑ – ⏑ –
ἀπὸ τοῦ ξύλου καθελὼν	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
τὸ ἄχραντόν σου σῶμα	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
σινδόνι καθαρᾷ	⏑ – ⏑ – ⏑ –
εἰλήσας καὶ ἀρώμασι	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ἐν μνήματι καινῷ	⏑ – ⏑ – ⏑ –
κηδεύσας ἀπέθετο.	⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

et in tropario Paschatis p. 88:

Χριστὸς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
θανάτῳ θάνατον πατήσας	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
καὶ τοῖς ἐν τοῖς μνήμασι	– ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ζωὴν χαρισάμενος.	⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

Plerumque autem ne haec quidem aequabilitas numerorum servata est, sed ut in versibus iambici pedes cum anapaesticis, trochaici cum dactylicis fere coniuncti sunt, sic etiam pleraeque strophae ex colis versibusque varii rhythmi promiscue positis constant. Eadem igitur varietas numerorum, quae strophis veterum poetarum lyricorum et scenicorum, byzantinis quoque tropariis est. Quod autem nostra memoria viri docti stropharum veterum partes, quamvis dissimiles esse videantur, tamen ad symmetriae leges syllabis artificiose protractis et intervallis interpositis revocabant, id modis byzantinorum tropariorum, qui cum et codicum et cantorum fide servati sint, ista artificia non admittunt, parum probatur. Plurima enim troparia, praesertim principum melodorum Ioannis Damasceni et Cosmae Hierosolymitani ita composita sunt, ut frustra eorum cola aequabilitatis cuiusdam legibus includere coneris. Sola antiquissima carmina perspicuam quandam symmetriam prae se ferunt, quam insignibus aliquot exemplis iam illustrabo:

Ἐξαποστειλάριον in Pentec. p. 4:

Σαρκὶ ὑπνώσας ὡς θνητὸς	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – *a*
ὁ βασιλεὺς καὶ κύριος	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – *a*
τριήμερος ἐξανέστης,	⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – *b*
Ἀδὰμ ἐγείρας ἐκ φθορᾶς	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – *a*
καὶ καταργήσας θάνατον.	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – *a*
Πάσχα τῆς ἀφθαρσίας, | τοῦ κόσμου σωτήριον.	– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – *c*

Κάθισμα I p. 54:

⏑ – ⏑ – ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ *a*
⏑ – ⏑ – ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ *a*
⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – *c*
– ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ *b*
– ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ *b*
⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – *d*

Τὸν τάφον σου, σωτὴρ, | στρατιῶται τηροῦντες
νεκροὶ τῇ ἀστραπῇ | τοῦ ὀφθέντος ἀγγέλου
ἐγένοντο κηρύττοντος | γυναιξὶ τὴν ἀνάστασιν·
σὲ δοξάζομεν | τὸν τῆς φθορᾶς καθαιρέτην,
σοὶ προσπίπτομεν | τῷ ἀναστάντι ἐκ τάφου
καὶ μόνῳ θεῷ ἡμῶν.

Κοντάκιον I p. 90:

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *a*
– ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *a*
– ∪ – ∪ ∪ – ∪ – | ∪ – ∪ ∪ – *c*
∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *b*
∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *b*
∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *d*

Εἰ καὶ ἐν τάφῳ κατῆλθες, ἀθάνατε,
ἀλλὰ τοῦ Ἅιδου καθεῖλες τὴν δύναμιν,
καὶ ἀνέστης ὡς νικητὴς, | Χριστὲ ὁ θεός,
γυναιξὶ μυροφόροις φθεγξάμενος, χαίρετε,
καὶ τοῖς σοῖς ἀποστόλοις εἰρήνην δωρούμενος,
ὁ τοῖς πεσοῦσι παρέχων ἀνάστασιν.

Κάθισμα IV p. 58:

∪ – ∪ ∪ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ ∪ – *a*
∪ – ∪ ∪ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ ∪ – *a*
∪ – ∪ ∪ – ∪ – *c*
– ∪ ∪ – ∪ – ∪ | – ∪ – ∪ ∪ – ∪ *b*
– ∪ ∪ – ∪ – ∪ | – ∪ – ∪ ∪ – ∪ *b*
∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ | – ∪ ∪ – – – *d*

Ταχὺ προκατάλαβε, | πρὶν δουλωθῆναι ἡμᾶς,
ἐχθροῖς βλασφημοῦσί σε | καὶ ἀπειλοῦσιν ἡμῖν,
Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν.
ἄνελε τῷ σταυρῷ σου | τοὺς ἡμᾶς πολεμοῦντας·
γνώτωσαν, πῶς ἰσχύει | ὀρθοδόξων ἡ πίστις
πρεσβείαις τῆς θεοτόκου, | μόνε φιλάνθρωπε.

Κάθισμα II p. 56:

– ∪ ∪ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ – *a*
– ∪ ∪ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ – *a*
∪ – ∪ – ∪ – ∪ – | ∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ *c*
– ∪ – ∪ – ∪ – | ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *b*
– ∪ – ∪ – ∪ – | ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *b*
∪ – ∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ | – ∪ – ∪ ∪ – ∪ – ∪ *d*

Τὴν ὡραιότητα | τῆς παρθενίας σου
καὶ τὸ ὑπέρλαμπρον | τὸ τῆς ἁγνείας σου
ὁ Γαβριὴλ καταπλαγεὶς | ἐβόα σοι, θεοτόκε·
ποῖόν σοι ἐγκώμιον | προσαγάγω ἐπάξιον;
τί δὲ ὀνομάσω σε; | ἀπορῶ καὶ ἐξίσταμαι·
διό, ὡς προσετάγην, βοῶ σοι· | χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη.

Κάθισμα VII p. 61:

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – | ∪ – ∪ – ∪ *a*
– ∪ ∪ – ∪ ∪ – | ∪ – ∪ – ∪ *a*
∪ – ∪ ∪ – ∪ | – ∪ – ∪ – ∪ *c*
∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ | – ∪ ∪ – *b*
∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ | ∪ – ∪ – ∪ ∪ – *d*
– ∪ – ∪ ∪ – ∪ – | ∪ – ∪ – ∪ ∪ – *d*
∪ – ∪ – ∪ – ∪ – | – ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *e*

Τὸ προσταχθὲν μυστικῶς | λαβὼν ἐν γνώσει
ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ Ἰωσὴφ | σπουδῇ ἐπέστη
ὁ ἀσώματος λέγων | τῇ ἀπειρογάμῳ·
ὁ κλίνας τῇ καταβάσει | τοὺς οὐρανοὺς
χωρεῖται ἀναλλοιώτως | ὅλος ἐν σοί,
ὃν καὶ βλέπων ἐν μήτρᾳ σου | λαβόντα δούλου μορφὴν
ἐξίσταμαι κραυγάζων σοι· | χαῖρε, νύμφη ἀνύμφευτε.

Κάθισμα III p. 57:

Θείας πίστεως | ὁμολογίᾳ – ∪ – ∪ – | ∪ – ∪ – ∪ *a*
ἄλλον Παῦλον σὲ | ἡ ἐκκλησία – ∪ – ∪ – | ∪ – ∪ – ∪ *a*
ζηλωτὴν ἐν ἱερεῦσιν ἀνέδειξε· – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *c*
συνεκβοᾷ σοι καὶ Ἄβελ πρὸς κύριον – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *b*
καὶ Ζαχαρίου τὸ αἷμα τὸ δίκαιον· – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – *b*
πάτερ ὅσιε, | Χριστὸν τὸν θεὸν ἱκέτευε – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ – ∪ – *d*
δωρήσασθαι ἡμῖν τὸ μέγα ἔλεος. ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – *e*

Τροπάριον apud Pitram Hymnogr. p. XXXIV:

Ἐβόησε ∪ – ∪ –
προτυπῶν τὴν ταφὴν τὴν τριήμερον ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ –
ὁ προφήτης – ∪ – ∪
Ἰωνᾶς ἐν τῷ κήτει δεόμενος· ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ –
ἐκ φθορᾶς με ῥῦσαι, – ∪ – ∪ – ∪
Ἰησοῦ βασιλεῦ τῶν δυνάμεων. ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ –

Praeterea in iis quoque hirmis et tropariis, quorum membra, quamvis numerose sese excipiant, tamen ad certas proportionis regulas revocari nequeunt, saepe duo versus vel periodi similitudine et numerorum et sententiarum sibi respondent, velut

Ῥωμανοῦ κοντάκιον p. 90:

– ∪ – ∪ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪
– ∪ – ∪ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪

Ἡ παρθένος σήμερον | τὸν ὑπερούσιον τίκτει,
καὶ ἡ γῆ τὸ σπήλαιον | τῷ ἀπροσίτῳ προσάγει.

Ἀπολυτίκιον II p. 88:

Οἱ τῶν ἀποστόλων πρωτόθρονοι ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ –
καὶ τῆς οἰκουμένης διδάσκαλοι. ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ –

Κάθισμα VIII p. 62:

– ∪ ∪ – ∪ – ∪ | ∪ – ∪ ∪ – ∪ –
– ∪ ∪ – ∪ – ∪ | ∪ – ∪ ∪ – ∪ –

καὶ ἐν ἀγκάλαις ἔσχες | τὸν πάντα συνέχοντα,
τὸν τροφοδότην πάντων | καὶ πλάστην καὶ κύριον.

Κάθισμα VI p. 60:

βάτον ἐν πυρὶ ἀκατάφλεκτον, – ∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ –
ῥάβδον Ἀαρὼν τὴν βλαστήσασαν. – ∪ – ∪ – ∪ ∪ – ∪ –

Προσόμοια VII p. 72:

Ὅτε τὸ ἐπίγειον | σκότος ἠμαύρωσε – ∪ – ∪ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ –
τοὺς ὀφθαλμούς σου τοῦ σώματος, – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ –
τῆς ἀσεβείας – ∪ ∪ – ∪
δημοσιεῦον | τὴν σκυθρωπότητα, – ∪ ∪ – ∪ | – ∪ ∪ – ∪ –
τότε τὸ οὐράνιον | φῶς περιήστραψε – ∪ – ∪ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ –
σῆς διανοίας τὰ ὄμματα, – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ –
τῆς εὐσεβείας – ∪ ∪ – ∪
ἀνακαλύπτον | τὴν ὡραιότητα. – ∪ ∪ – ∪ | – ∪ ∪ – ∪ –

Troparium in Triod. p. 356:

∪ – ∪ – ∪ – ∪ | – ∪ – ∪ – ∪ – ∪
∪ – ∪ – ∪ – ∪ | – ∪ – ∪ – ∪ – ∪

Μακάριος ὁ δοῦλος, | ὃν εὑρήσει γρηγοροῦντα,
ἀνάξιος δὲ πάλιν, | ὃν εὑρήσει ῥαθυμοῦντα.

Atque haec quidem similitudo versuum non tam de graeco fonte, quam de hebraicorum canticorum parallelismo, quem dicunt, derivanda esse videtur. In fine vero huius libri, ut quae de arte byzantinorum melodorum commentatus sum, meo exemplo comprobem, aliquot carmina in theodiscam linguam numeris graeci exemplaris servatis conversa proponam, quae si cui recitata minus numerose cadere videntur, cantata nescio an magis placeant.

Lied auf die Märtyrer von Nikopolis (S. 63).

Gepriesene Glaubenszeugen, euch
nimmer birgt der Erde Schooss;
beim Vater droben ist euer Sitz,
es öffnen zum Empfang
sich des Himmels Pforten;
in des Paradieses Glanz
geniesst die Frucht vom Baume des Lebens ihr;
von Christus dort erfleht,
dass uns Erdenpilgern werd zu Theil
Seelenfrieden und der Gnade Heil.

Gepriesene Glaubenszeugen, ihr
von der Steine Wucht erdrückt
bekanntet Christus den Felsen laut,
den unzerbrechlichen.
Mit des Sieges Kränzen
durch die Huld des Herrn geschmückt,
nun jubelt ihr im Chor der Engel dort;
mit ihnen fleht zumal,
dass uns Erdenpilgern werd zu Theil
Seelenfrieden und der Gnade Heil.

Des Glaubens gekrönte Zeugen, ihr
in des Kerkers dunkler Nacht
bliebt treue Wächter für Gottes Wort;
vom heissen Durst gequält
fandet ihr Erquickung
in dem Thau dem göttlichen,
der euch die Seele labte im Jammerthal;
von Christus drum erfleht,
dass uns Erdenpilgern werd zu Theil
Seelenfrieden und der Gnade Heil.

Ihr Zeugen des Glaubens, unberückt
suchtet ihr des Lebens Born,
der stets und immer von neuem quillt;
den ungerechten Tod
durch den Spruch der Frevler
ihr ertruget unverzagt;
und jubelt froh jetzt mit der Bekenner Schaar;
allsammt erfleht vom Herrn,
dass uns Erdenpilgern werd zu Theil
Seelenfrieden und der Gnade Heil.

Lied auf Charfreitag (S. 67).

Als du in das neugebaute Grab
warst zu unser aller Erlösung
gelegt, o Heiland des Alls,
und der Hades nah'n dich sah,
erschrack er und erblich:
es zerbrechen die Siegel all,
es bersten die Steine,
alte Gräber thun sich auf,
und Todte auferstehen.
Adam da in Dankesgefühlen
rief mit lautfrohlockender Stimme:
stets gepriesen sei dein Tod, du Menschenfreund!

Als Arimatheas deinen Leib
nahm herab vom Stamme des Kreuzes,
des Lebens ewigen Quell,
hüllt er dich in Linnen ein,
und salbt mit Myrrhen dich.
Mit den Lippen da wollte er
im heissen Verlangen
küssen deinen hehren Leib,
den unvergänglichen.
Da erfasst von heiligem Schauer
rief er mit frohlockender Stimme:
stets gepriesen sei dein Tod, o Menschenfreund!

Als sie legten deinen hohen Leib
in des Grabes düstere Enge,
und rings umschlossen du lagst,
du der unermesslich
und ohne Schranke ist,
da erbrachst du des Hades Reich,
allmächtiger Heiland!
ganz entleertest du sein Haus
und stürztest seine Macht.
Seit der Zeit ertönt am Sabbat
allwärts in der Christengemeinde
deines Ruhmes Preis im hohen Lobgesang.

Als die Engel von da oben sahen,
wie dich ruchlos höhnte und schmähte
der Sünder gottlose Schaar,

staunten sie die Langmuth an,
mit der den Schimpf du trugest,
und im Unmuth aufwallten sie,
dass frevelnde Hände,
die durchstochen deinen Leib,
das Grab versiegelten.
Doch ob der Menschen Erlösung
riefen sie mit jubelnder Stimme:
stets gepriesen sei dein Tod, o Menschenfreund.

Auf den Märtyrer Georgios (S. 70).

Als den Helden der Märtyrer,
ehrenreicher Georgios,
preisen wir dich allzumal,
heut an deinem Fest.
Siegreich ja hast du den Lauf vollbracht,
den Glauben bewahret treu.
Drum des Sieges Ehrenkranz
ward zum Lohne dir dort zu Theil;
fleh zu Christus jetzt,
dass von Leiden und Noth erlöset werden
alle, die in reinem Glauben
heute gedenken in Ehren dein.

Wie ein Löwe mit kühnem Muth
fest du schrittest zum Glaubenskampf,
ohne Zaudern, stark bewehrt
mit des Glaubens Schild.
Nicht in den Kämpfen du achtetest
des Leibes Vergänglichkeit;
weise warst du nur bedacht
auf das ewige Seelenheil.
In der Feuergluth
von unsäglichen Peinen ward geläutert
deine Seele, gleich dem Golde
siebenfach, hehrer Georgios!

Wie der Heiland, ruhmreicher Held,
gingst nach freiem Entschlusse du
in den Tod und littest gleich
unserm Jesu Christ.
Drum du auch thronest im Himmelreich
im Glanze des Lichtes gleich ihm,
mit des Blutes Purpurkleid
und dem Scepter des Thatenruhms
königlich geschmückt.
Auf dem Haupte des Sieges Krone tragend
glänzst du grosser Glaubenszeuge
ewige Zeiten, Georgios!

Auf Kreuzerhöhung (S. 81).

O der übergrossen Wunderthat,
das lebenspendende Holz,
der vielheilige Kreuzesstamm
stehet aufgerichtet hoch
uns zum Heile und Segen heut.
Alle Geschöpfe in Andacht beugen sich,
alle Dämonen in Furcht erbeben bleich;
o welch ein Gnadenborn
ist geschenkt den Menschen all!
durch seine Kraft
rette unser Seelenheil erbarmungsvoll, o Herr!

O der übergrossen Wunderthat!
das Kreuz zeigt heute sich uns,
das den höchsten des Weltenalls,
das des Segens Inbegriff
ausgespannt an dem Querholz trägt.
Es hat vom Tode die Menschen erlöst,
es hat zerstöret des Hades Allgewalt;
o hehres Wunderholz,
alle die verehren dich
und Jesu Christ,
werden einst beglücket mit des Paradieses Lust.

O der übergroszen Wunderthat!
gleich ist an Grösse das Kreuz
dem unendlichen Himmelsraum,
da von seiner Gnade Kraft
wird geheiligt der Menschen Stamm.
In ihm zerbricht sich des Feindes stolze Macht,
in ihm sich festigt des Königs Herrscherstab.
O Himmelsleiter du,
deine Sprossen führen uns
aufwärts zum Herrn,
wenn wir singen liederfroh dem Heiland Jesu Christ.

Osternlied (S. 221).

Erglänze, erglänze,
du neues Hierusalem!
Denn die Sonne des Herrn
ist erstrahlt ob deinem Haupt.
Tanze, Sion, und frohlocke dem Herrn!
Dich auch erfreu, reine Gottesmutter,
der von den Todten erstandene Sohn.

O hehres, o liebes,
o honigsüsses Wonnewort,
das uns gab die Verheissung,
dass du werdest unter uns
weilen, o Herr, bis zum Ende der Zeit;
stets wird es sein unsrer Hoffnung Anker,
den wir festhalten in Sturm und Noth.

O Ostern! o Christus!
o neues, hehres Opferlamm,
Gottes Allmacht und Weisheit
ist in dir geoffenbart.
Gib uns den Dienern
noch höheren einst
Antheil an dir, an dem abendlosen
Tage des himmlischen neuen Reichs.

Heute ist der Herr erstanden,
jubelt alle vereint!
Heil uns, o Heiland! Heil uns!
zum Leben hat von Grabes Nacht,
von der Erd zum Himmelreich geleitet uns
der Herr.
Drum lasst uns anstimmen jetzt
das frohlockende Siegeslied!

Mit des Geistes reinen Sinnen
werden heute wir schaun
Christus, den Herrn der Welten,
im unnahbaren Strahlenglanz
seiner Auferstehung, und die Worte seiner
Huld
vernehmend anstimmen laut
das frohlockende Siegeslied.

Auf, ihr Himmel, lasst erklingen
lauten Jubelgesang!
Jauchzend stimm' ein die Erde,
und was im weiten Weltenraum
sichtbar ist und unsichtbar zieh' an das
Festgewand;
denn Christus erstanden ist
zu dem Heile der Christenheit.

LIBER QUARTUS.

DE ARTE MUSICA BYZANTINA.

Saepe numero iam monuimus carmina ecclesiastica a melodis byzantinis facta esse, quae canerentur, non quae legerentur. Qua de causa cum in libro de sacra poesi byzantina ne modos quidem carminum artemve musicam neglegi par esse intellexissemus, hoc quoque munus, quamvis nostris viribus maius, subire ausi sumus. Neque hoc nisi rerum necessitate coactus feci; vereor enim, ne impudentiae crimine me haud immerito lacessant, quod ipse docendus alios docere conatus sim. Sed lineamenta tantum rei, lippis quoque oculis conspicua, adumbrabo; plura qui scire velit, eum ad libros modorum supra p. LXXII iam allatos delego et ad Philoxeni Λεξικὸν τῆς ἑλληνικῆς ἐκκλησιαστικῆς μουσικῆς et Chrysanthi, Margaritae, Philoxeni Θεωρητικὰ τῆς μουσικῆς.

Duplici de fonte musica ars christianorum orta esse videtur, de modis psalmorum et de arte atque disciplina Graecorum. Ut enim cantus ecclesiae christianae ex synagogis Iudaeorum profecta est, ita arte et praeceptis Graecorum perfecta et perpolita esse videtur. Sed cum graecarum cantilenarum modi tantum non omnes deperditi et Iudaeorum artis aenigmata magis quam documenta servata sint, difficillimum est dictu, quid christiana ars Graecis, quid Iudaeis accepta debeat, nec ex tantis tenebris alia, ut fieri solet, quam signa quaedam speciosa eminent. Atque toni (ἤχου) quidem notatio cuique carmini praemissa*) similis moris a Iudaeis in psalmis observati (vide Ewald Die poetischen Bücher des alten Testamentes I, 172 ff.) nos commonefacit; sed ne huic rei iusto plus tribuamus, Byzantini octo tonis, novem vel decem modulationum generibus Iudaei utebantur, neque quidquam de vicissitudine inter utraque intercedente memoriae proditum est. Plura atque certiora indicia veteris artis Graecorum ad Christianos propagatae exstant. Neque enim solum in narratiuncula de Pambone abbate (v. p. XXIX) troparia graecae originis esse significantur (φθείρουσιν οἱ Χριστιανοὶ τὰς βίβλους τῶν ἁγίων εὐαγγελίων . . . γράφοντες τροπάρια καὶ ἑλληνικοὺς λόγους καὶ χυθήσεται ὁ νοῦς εἰς τρόπους καὶ εἰς τοὺς λόγους τῶν Ἑλλήνων), sed etiam octo toni sive ἦχοι a byzantinis scriptoribus iisdem nominibus, quibus veteres Graeci suas harmonias vocabant, significabantur; conf. Westphal Metrik der Griechen (2. Aufl.) I, 310 f. Sed ne haec quidem res satis certa et explorata est; neque enim octo, sed septem modorum generibus veteres Graecos vulgo usos esse Bacchii p. 12 Meib. testimonio

*) Idem in cantilenis christianis Syrorum factum esse docet A. Hahn Bardesanes p. 32.

constat, et nomina illa Δωρίου, Λυδίου, Φρυγίου τρόπου Byzantini non a suis maioribus tradita accepisse, sed doctrinae speciem ut venditarent e Ptolemaei veterumque musicorum libris eruisse videntur. Quid? quod ipsum nomen ἤχων novum est nec a veteribus scriptoribus ad genera modorum, quae τρόπους vel εἴδη vocabant, significanda usurpatum fuit. Notis quoque aliis, quam veteres Graeci, ad modos literis mandandos utebantur; sed hoc ne mireris, veterum Graecorum notae musicae tam implicatae et tam difficiles et ad intellegendum et ad scribendum erant, ut novas et faciliores notas ne mutata quidem artis musicae disciplina sollertes homines commentos esse neutiquam veri dissimile sit.

Ut autem radices artis musicae byzantinae spissa caligine obtectae sunt, ita propagatio eius ad latinas gentes et ad occidentales partes Europae in aprico posita est. Una enim cum graecis carminibus, quae etiam in Gallia inclaruisse supra p. XXV docui, cantus quoque et musica institutio a Graecis ad Latinos translata sunt. Atque huius quidem rei apertissima testimonia octo tonorum, qui graecae et latinae ecclesiae communes erant, nomina praebent. Neque enim solum distinctio tonorum plagiorum (ἤχων πλαγίων) et authentorum (ἤχων αὐθεντῶν sive κυρίων) graecae originis est, sed etiam tonum primum latini magistri vulgo tonum protum dicebant, ut ne in re latino quidem nomine facile dicenda graecae stirpis vestigia relinquerent. Quo autem tempore haec disciplina octo tonorum exculta, quo ad Latinos perlata sit, in tanta testimoniorum penuria difficile ad disceptandum est. Hoc certum est octavo saeculo, quo Ioannes Damascenus carmina Octoechi secundum octo tonos disposuit, hanc disciplinam iam pervulgatam fuisse. Sed cum cathismata et troparia anonyma multo vetustiora esse videantur, nescio an iam Anthimi et Timoclis aetate, qui quinto saeculo tropariorum poetae floruisse feruntur, fundamenta huius artis iacta sint.

Graeci vero non solum musicam artem ecclesiasticam excoluerunt excultamque ad Latinos pertulerunt, sed etiam multo integriorem, quam Latini, conservaverunt, unde multa, quae in occidentalibus partibus Europae dudum oblivione obruta sunt, apud Graecos usque ad hunc diem perdurarunt. Sic neumatum scriptura apud nos medio aevo ad finem vergente obliterata et alia scribendi modos musicos ratione submota est; Graeci veteribus notis musicis, quae neumatis cognatae sunt, etiamnunc vulgo utuntur. Latinas vero sequentias, graecis tropariis simillimas, postquam iam diu in ecclesia cantari desierunt, nostra memoria viri docti ex bibliothecarum tenebris denuo in lucem protraxerunt; graecis in ecclesiis vetera cathismata et troparia, quae sequentiis illis vel vetustiora sunt, iisdem modis, quibus ante plus quam mille annos, etiam hodie cantantur. Quae cum ita sint, cantus ecclesiae graecae multa singularia habet, ex remotissimis temporibus quasi hereditate accepta nec multum his temporibus variata, quae iam succincta oratione exponam.

Atque primum quidem vetustissimo more antiphonici cantus servato

usque ad hunc diem apud Graecos institutum est, ut omnia carmina ecclesiastica a duobus choris per vices cantentur; quodsi carmen una stropha constat, eadem stropha primum a dextro, deinde a sinistro choro cantatur. Uterque autem chorus ex uno praecentore et quatuor vel quinque pueris constat; dextri chori praecentor πρωτοψάλτης, sinistri λαμπαδάριος dicitur; utrique in maioribus ecclesiis singuli apparitores, qui δομεστικοὶ audiunt, additi sunt. Ita autem inter praecentorem et pueros cantus partitus est, ut, dum praecentor vocem modulate flectit, pueri sonum principalem usque retinent, qui cum ἴσον vocetur, ipsi ἰσοκρατοῦντες audiunt. Hac de causa omnibus melodiis in libris modulationum nota soni illius principalis praefixa est, multique sunt scriptores artium in vi et notione illius ἴσου definienda. Cantores autem antiquitus in excelso loco collocati erant, qui ἄμβων ab scriptoribus vocatur. Eius iam in concilii Laodicensis can. XVII mentio fit: Περὶ τοῦ μὴ δεῖν πλὴν τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων ἑτέρους τινὰς ψάλλειν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ; confer Sophronium Com. lit. apud Maii Spic. Rom. IV, p. 42: Εἶτα οἱ ψάλται ἀνέρχονται ἐν τῷ ἄμβωνι, ψάλλουσι δὲ 'τὸ δεῦτε ἀγαλλιασόμεθα τῷ κυρίῳ'· τούτῳ συμφωνοῦσι καὶ οἱ κάτω, δεικνύντες τὴν συμφωνίαν τῶν ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων· eundemque quarto decimo saeculo in cod. Vind. phil. n. 194 fol. 489 'ἀνέρχονται δὲ οἱ ψάλται ἐπὶ ἄμβωνος καὶ ψάλλουσι τὰ ἀπολυτίκια τῆς ἡμέρας' commemoratum inveni. Nunc hunc morem aboluisse accepimus.

Alterum signum veteris canendi moris in ecclesiis graecis servati hoc est, quod omnia carmina assa voce canunt. Atque hac quidem in re Christiani a more Iudaeorum, quos instrumentis musicis usos esse inter omnes constat, desciverunt. Nam patres ecclesiae quo magis animos hominum verbis atque sententiis carminum adverterent, fidium tibiarumque cantum omnesque aurium delicias removendas curaverunt. Cum hoc more assa voce canendi convenit, quod lyrae et tibiarum, totiens a Sapphone Pindaro Horatio commemoratarum, in carminibus byzantinis fere nusquam mentio fit; nam quod p. 65 Ioannes apostolus praedicatur 'ᾄδει τερπνῶς, τὰ μὲν χείλη κινῶν ὡς νευρὰς, ὥσπερ δὲ πλῆκτρον τὴν γλῶτταν ἀνακινῶν' non ita interpretari licet, ut illud carmen ad lyram cantatum esse concludas. In latinis quoque ecclesiis instrumentorum usum sero increbuisse narrant, quo magis notatu dignum est, quod Monachus Sangallensis in Gestorum Karoli libro secundo (Monum. Germ. hist. II, 751) Germanos a legatis graecis organis uti didicisse refert: 'Cum igitur Graeci post matutinas laudes imperatori celebratas in octava die Theophaniae secreto in sua lingua deo psallerent et ille occultatus in proximo carminum dulcedine delectaretur, praecepit clericis suis, ut nihil ante gustarent, quam easdem antiphonas in latinum conversas ipsi praesentarent... Adduxerunt etiam iidem missi omne genus organorum et variarum rerum secum; quae cuncta accuratissime sunt in opus conversa et praecipue illud musicorum organum praestantissimum, quod doliis ex aere conflatis follibusque taurinis per fistulas aereas mire perflantibus rugitum

quidem tonitui boatu, garrulitatem vero lyrae vel cymbali dulcedine coaequabat'.

Cum autem organis Graeci carerent, certe in ecclesiis non uterentur, manuum variis motibus (χειρονομία) cantum dirigebant; quod munus ne imperatorem quidem Theophilum subire aspernatum esse Cedrenus p. 522 B refert. His manuum motibus quod altitudinem, depressionem, flexus vocis significabant, notae musicae, multo post illae quidem inventae, nomine χειρονομίας comprehendebantur; conf. Beiträge S. 61. Quin etiam formas notarum motus manuum imitari Chrysanthus Μέγα Θεωρητ. p. 91 sq. rectissime monet, velut πεταστὴ manus quasi ad volatum levatae et κέντημα digiti tamquam ad pungendum porrecti similitudinem refert. Simillimo vero modo Indos quoque vocis flexus manibus digitisque significare et adiuvare familiaris meus Martinus Haug mecum communicavit.

Non minus veneranda simplicitas cantus ecclesiae graecae in eo conspicitur, quod usque ad hunc diem intra fines veteris imperii byzantini concentum plurium vocum sive polyphoniam spreverunt. Solis in ecclesiis Vindobonae, Odessae, Londinii, Tergestis auribus incolarum, polyphoniae tumori assuefactis, hoc dandum esse existimaverunt, ut a tenuitate unisoni cantus desciscerent. Eandem autem cantus simplicitatem in latina quoque ecclesia usque ad duodecimum saeculum viguisse nec etiamnunc prorsus abiectam esse inter omnes constat. Cum unisono cantu autem illud quoque cohaeret, quod puellarum mulierumque voces virorum cantui non admiscentur. Quamquam in Therapeutarum coetibus unum chorum virorum, alterum mulierum fuisse Philo De vita contempl. p. 902 ed. Par. a. 1640 retulit; verum in canone XVII concilii Laodicensis modo laudato cantores, neque tamen cantrices commemorantur.

Cantorum modi ipsi antiquissimis temporibus simplicissimi fuisse videntur; sedulo enim caverunt, ne modorum dulcedine et varietate homines magis permulcerentur, quam rerum gravitate commoverentur. Neque deerant, qui omnes cantilenarum pellecebras a severitate et austeritate christianorum morum alienas esse opinarentur. Huius rei testimonia supra p. XXX Pambonis et Nili abbatum edicta attulimus, idem vero locupletissimus auctor S. Augustinus in Confess. X, 33 his verbis significavit: 'Interdum melos omne cantilenarum suavium, quibus Davidicum psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim atque ipsius ecclesiae, tutiusque mihi videtur, quod de Alexandrino episcopo Athanasio saepe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti.' Neque non concilio ecclesiastico a. 692 congregato can. LXXV provisum est, ut ne cantores pudoris et modestiae terminos egrederentur: τοὺς ἐπὶ τῷ ψάλλειν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις παραγινομένους βουλόμεθα μήτε βοαῖς ἀτάκτοις χρῆσθαι μήτε τι ἐπιλέγειν τῶν μὴ ἐν ἐκκλησίᾳ ἁρμοδίων τε καὶ οἰκείων. Hanc autem normam procul dubio summi melodi octavi saeculi, Ioannes Damascenus et Cosmas Hierosolymitanus secuti sunt, quo-

rum hirmi tam modicis flexibus vocis cantantur et accentibus sermonis adeo accommodati sunt, ut fere in clausulis solis liberiores motus melismatum admittant. Sed brevi post qui modulationum varietate et petulantia delectabantur, adeo auctoritate praevalere coeperunt, ut verba carminum ipsa prae strepitu modorum vix exaudiri intellegive possent. Hoc Zonaras, grammaticus et historicus duodecimi saeculi, in interpretatione canonis laudati his verbis testatur: κεκλασμένα μέλη καὶ μινυρίσματα καὶ ἡ περιττὴ τῶν μελῳδιῶν ποικιλία εἰς ᾠδὰς ἐπιτρεπομένη θυμελικὰς καὶ εἰς ᾄσματα πορνικὰ τὰ νῦν ἐν ψαλμῳδίαις ἐπιτηδευόμενα μάλιστα. Idem vero codicibus quarti decimi et quinti decimi saeculi confirmatur, qui protractis modulationibus et inficetis artificiis teretismatum (Triller) scatent.

Indè factum est, ut duo modorum genera distinguantur, alterum tenue et breve, χύμα sive σύντομον μέλος vocatum, alterum flexuosum et protractum, quod ab tarditate motus ἀργὸν μέλος dicebant. Neque solum aliae odae aliis modorum generibus utebantur, sed etiam pleraque carmina brevioribus eademque tardis modis instructa sunt. Cum autem breves illi modi a sermocinationis tenuitate parum differrent, canones et stichera, quorum modi plerique breves sunt, dici (λέγεσθαι) vulgo feruntur, et in Triod. p. 425 'τὸν αὐτὸν ἦχον ψάλλομεν ἐν ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν ἑπομένων στίχων τοῦ ψαλμοῦ πα', λεγομένων παρὰ τοῦ ἀναγνώστου χύμα' cantus troparii et modulata lectio versuum psalmi contraria ponuntur. Vocabulo autem χύμα iam veteres Graeco similiter usos esse Aristides Quintilianus de mus. p. 32 ed. Meib. testatur: μέλος μὲν γὰρ νοεῖται κατ' αὐτὸ μὲν τοῖς διαγράμμασι καὶ ταῖς ἀτάκτοις μελῳδίαις, μετὰ δὲ ῥυθμοῦ μόνου, ὡς ἐπὶ τῶν κρουμάτων καὶ κώλων, μετὰ δὲ λέξεως μόνης ἐπὶ τῶν καλουμένων κεχυμένων ᾀσμάτων. Nam Byzantinorum quoque μέλη κατὰ χύμα λεγόμενα liberis rhythmis volvebantur. Denique multis carminibus tertium genus modorum est, quod cum mediam viam inter brevem et lentam modulationem teneat, μικτὸν sive ἀργοσύντομον audit.

Aliis et obscurioribus rationibus saepe a byzantinis magistris artiumque scriptoribus μέλη στιχηραρικὰ, εἱρμολογικὰ, παπαδικὰ distinguuntur. Duo priora nomina facilem explicatum habent ex iis, quae de Sticherariis et Hirmologiis secundo libro p. LXXII disseruimus; παπαδικὰ μέλη, quae tardis et protractis adnumerantur, nec apertae originis sunt nec a magistris perspicue definiuntur. Chrysanthus enim, quem reliqui sequuntur, ne dicam expilant, in eo acquievit, ut diceret p. 179: παπαδικὸν μέλος εἶναι τοιοῦτον, οἷον εὑρίσκεται εἰς τὰ Κοινωνικὰ καὶ Χερουβικά, neque multum lucramur ex cod. Vind. phil. n. 194, in cuius fol. 161, quo loco carminis melodia finitur et inanium sonorum (Triller) longa series orditur, adnotatum legimus: τέλος τῆς παπαδικῆς τέχνης καὶ ἀρχὴ τῆς καλλοφωνίας. Hoc autem patet, tria haec melodiarum genera cum vicibus, quas ars musica Byzantinorum et octo tonorum discriminatio subiit, arctissime cohaerere. Alio enim sono στιχηραρικὰ, alio εἱρμολογικὰ, alio παπαδικὰ μέλη cuiusque toni claudi aliosque

aliorum sonos praecipuos (φθόγγους δεσπόζοντας) esse diligentissime magistri praecipiunt. Sed haec enucleanda et cum historia progressuum artis musicae coniungenda aliis peritioribusque viris relinquo; ipse in eo acquiesco, ut viam aliis monstrasse videar.

DE GENERIBUS ET SCALIS MUSICAE BYZANTINAE.

Ut veteres scriptores musici tria genera musicae (τρία γένη μουσικῆς) esse statuerant, ita recentiores quoque magistri γένος διατονικὸν, χρωματικὸν, ἐναρμόνιον distinxerunt; sed praeter nomina nihil fere veteribus et byzantinis generibus musicae commune est, et ut in multis aliis partibus musicae disciplinae, sic in hac quoque re recentiores scriptores, quod veteribus nominibus suae artis discrimina notabant, speciem doctrinae ac eruditionis captasse et patriae decori consuluisse videntur. Tria igitur genera musicae ita inter se differunt, ut aliud alia scala utatur. Atque ut a primario genere diatonico exordiar, hanc eius scalam esse docent:

πα βου γα δι κε ζω νη πα

| 9 | 7 | 12 | 12 | 9 | 7 | 12 |



quae quidem scala sonos medios vocis humanae, sive nostrae scalae d — d̄ complectitur. Hos sonos cum obscuris nominibus olim nominassent (conf. Chrysanthum l. l. p. 107), auctores novi systematis artis musicae Γρηγόριος πρωτοψάλτης, Χρύσανθος Προύσης, Χουρμούζιος χαρτοφύλαξ septem primis literis alphabeti ita appellarunt, ut vocalibus consonantem praefigerent, consonantibus vocalem subiungerent in hunc modum:

πΑ Βου Γα Δι κΕ Ζω νΗ.

Atque his quidem nominibus nostra memoria melodi et magistri vulgo utuntur. Manuel autem Bryennius, qui quarto decimo saeculo Harmonicorum libros tres doctius quam scitius conscripsit, cum doctrinae speciem affectaret, nominibus veteribus et Ptolemaei systemate pentekaidekachordi usus est. Neque auctor affectatae huius doctrinae ille exstitisse videtur, siquidem iam ante eum latini scriptores nominibus alieni systematis male intellecti praecepta de arte musica magis obscuraverunt quam illustraverunt; confer Westphal Metrik der Griechen I, 269 et 310—320 et commentationem meam 'Ueber die Harmonik des Manuel Bryennius und das System der byzantinischen Musik' in Beiträge S. 35—60.

Praeter haec autem nomina lineis scalae diatonicae supra descriptae notae quaedam, quas μαρτυρίας graeci magistri vocant, ex adversa parte adscriptae sunt. Harum notarum unaquaeque ex duabus partibus constat, quarum superiorem prima quaque litera nominum sonorum effici patet, inferiorem ad sonos principales octo tonorum referendam esse in commentatione modo laudata p. 59 demonstravi. Nam primae martyriae inferior pars toni primi et recti

et plagii, secundae toni legeti, tertiae toni tertii, quartae toni quarti et recti et plagii sonum finalem literis veteris scripturae indicat. Has autem notas μαρτυρίαc dicunt, quod in libris melodiarum et manu scriptis et prelo excusis singulis versibus periodisque interponuntur, ut altitudo vocis et toni modulatio definiatur et confirmetur. Iisdem vero notis, modo accentu acuto auctis, modo inverso ordine scriptis, utuntur ad duplicem scalam sive cύcτημα δὶc διὰ πacῶν significandum hoc modo:



Hoc autem in schemate acuto accentu notas augent, ut altos sonos a gravibus distinguant, et scalam principalem inter graviorem sonum ζω sive nostrum H et altiorem ζω sive nostrum h contineri statuunt, quod horum octo sonorum terminis melodiae octo tonorum fere includuntur. Iis autem, quae iam explicavi, notis unam notam $\overset{z}{\sim}$ = ζω additam vides, cuius inferiore parte litera β sive sonus finalis ἤχου βαρέοc indicatur.

Venio iam ad difficiliorem huius rei partem. Numeri enim in scala diatonica singulis lineis interpositi, quibus Graeci, quanto intervallo duo soni distent, significant, multum admirationis nobis habent. Primum enim non duo intervallorum genera, toni dico et semitonii, ut a veteribus Graecis et a nostris musicis, sed tria τόνου μείζονοc, τόνου ἐλάccονοc, τόνου ἐλαχίcτου distincta sunt. Quamquam haec quidem res non prorsus nova et inaudita est, quia iam veteres philosophi (conf. Ptolemaei Harm. I, 10, 11) invenerant et recentiores mathematici confirmaverunt eos sonos, qui uno tono distare dicerentur, non plane aequali intervallo, sed plus minus distare. Verum ne scalam Byzantinorum cum scala Eratosthenis et Ptolemaei (v. Westphal Metrik I, 423) prorsus concordare opineris, in illa maximum intervallum imum, minus secundum, minimum summum locum, in hac semitonii intervallum imum, maioris toni secundum, minoris toni summum locum tetrachordi obtinet; quodsi plenum concentum duarum scalarum efficere velis, byzantina ita tibi invertenda est, ut a sono βου initium facias et sic intervalla disponas:



Magis nos numeris ipsis offendi par est. Tota enim ratio, qua byzantini magistri intervalla sonorum satis inscite definiverunt, a docta argumentatione Ptolemaei et mathematicorum discrepat. Illi enim, quae proportio inter motus vibrantium fidium (Saitenschwingungen) intercederet, subtili computatione eruerunt, Byzantini cum toni intervallum duodecim particulis (διαστήματα) constare statuissent, minori tono novem, semitonio (ἡμιτονίῳ sive λείμματι) septem particulas adsignaverunt. Atque quod minimum intervallum (τόνον ἐλάχιστον) dimidiam partem intervalli toni paululum superare statuerunt, id plane cum praeceptis Ptolemaei (vide Harm. I, 15) convenit; quod autem tonum minorem novem, maiorem duodecim particularum esse docent, et a disciplina mathematica Ptolemaei et a rei probabilitate abhorret. Cum enim mathematici maiorem tonum et minorem tam exiguo discrimine, ut magis mathematicis rationibus inveniri quam aurium iudicio percipi posset, differre docuissent et nostri musici pusillo illo discrimine prorsus neglecto aut tono aut semitonio sonos distare vulgo statuant, recentiores Graeci minorem tonum (ἐλάσσονα τόνον) minimo propius quam maximo accedere definiunt. Quo cum accedat, quod et Manuelis Bryennii aetate, qui quarto decimo saeculo Harmonicorum libros tres conscripsit, praecepta illa de intervallis septem, novem, duodecim particularum prorsus inaudita fuisse probantur, neque quibus calculis et mensuris illa discrimina inventa sint quidquam memoriae proditum est, in commentatione de Man. Bryennio totam illam doctrinam commenticiam et ab recentiore aliquo magistro parum scite excogitatam esse iudicavi. Probatur autem huius sententiae audacia ipso cantu Graecorum; licet enim Chrysanthus p. 9 et 102, commenticia illa disciplina, cui fidem derogare non ausus est, in errorem, ut videtur, inductus, suum τόνον ἐλάχιστον ab semitonio Europaeorum differre dicat, tamen peritissimi iudices Graecos iisdem intervallis, quibus nos, scalam decantare mihi asseveraverunt. Neque tamen silentio praetermittere fas est collegam doctissimum Schafhäutl, veteris musicae ecclesiasticae inter paucos peritum, secus sentire et lyram (Guitarre) sollertissime adornasse, cuius nervi intervallis et nostrae et Byzantinorum et veterum Graecorum scalae resonent.

Hactenus de scala diatonica, qua Graeci in plerisque cantilenis et praesertim in omnibus toni primi et recti et plagii et toni quarti recti utuntur. Praeter hanc autem scalam genera enharmonium et chromaticum suas et proprias scalas habent, quarum expositionem melius cum octo tonis musicis coniungemus.

DE OCTO TONIS (ΗΧΟΙC) MUSICIS.

Nulla re vicissitudo, quae inter graecae et latinae ecclesiae artem musicam intercedit, magis perspicua fit, quam similitudine octo tonorum latinorum cum octo ἤχοις Graecorum; atque in hac parte, quod raro fieri novimus, latinae ecclesiae ars perspecta plurimum lucis ad graecam artem plene

intellegendam affert. Quamquam enim Latini a Graecis artem musicam accepisse probantur et graeca ecclesia veterum institutorum multo tenacior fuit, tamen latini scriptores iam aliquot saeculis prius quam Graeci quae usu et experientia didicerant literis mandarent, de arte musica praecepta dare coeperant. Quo cum accedat, quod antiquissimus auctor graecus, Man. Bryennius, artem musicam ecclesiasticam non solum multis partibus iam immutatam invenit, sed etiam ineptis involucris affectatae eruditionis obscuravit, vis et natura octo ἤχων nisi latinis scriptoribus in auxilium vocatis plene explicari non potest. Byzantini igitur aeque atque Latini octo musicae tonos esse statuerunt, et eorum quatuor authentos sive κυρίους, quatuor πλαγίους appellaverunt. Haec denominatio veteribus Graecis incognita fuit, sed simile quoddam harmoniarum discrimen illi nominibus δωριστὶ et ὑποδωριστὶ, φρυγιστὶ et ὑποφρυγιστὶ significasse videntur. Medio autem aevo quo pacto authenti et plagii toni primitus discriminati fuerint, optime ex Hucbaldi et Oddonis testimoniis (vide Gerbert Scriptores ecclesiastici de musica p. 116 et 258 sq.) apparet, qui tonum authentum a suo finali usque in nonum sonum ascendere, descendere autem in sibi vicinum et aliquando ad semitonium vel ad tertium, plagium autem usque in quartum descendentem ad quintum ascendere docent. Inde hoc quoque patet, cur authenti toni alti (ὀξεῖς), plagiales graves (βαρεῖς) vulgo audiant, quae quidem res in multis melodiis nunc adeo obscurata est, ut ordo invertisse videatur.

Singuli toni a Byzantinis et Latinis nominibus ordinalibus primus (πρῶτος) secundus (δεύτερος) tertius (τρίτος) quartus (τέταρτος) appellantur, excepto tono tertio plagio, qui non ἦχος πλάγιος τρίτος sed ἦχος βαρὺς a Graecis vocatur, quem dicendi usum eo tempore natum esse probabile est, quo systemate octo tonorum mutato non iam primus et secundus tonus plagius, sed tertius maxime ad gravitatem descendere coeperit, nisi forte ex veterum Graecorum systemate, qui septem non octo modorum genera vulgo statuebant, causam huius rei repetendam esse censeas. Certe nominibus ordinalibus ad singulas harmonias distinguendas iam multo ante byzantinos scriptores extremis saeculis imperii romani vulgo utebantur; conf. Westphal Metrik I, 85 et 318.

In omnibus igitur libris melodiarum, quos inspiciendi mihi quidem copia facta est, tonus cuiusque carminis ea, quam modo exposui et in hac anthologia retinui, ratione indicatus est. Verum ii, qui eruditionis gloriolam venati artem suae aetatis cum praeceptis Ptolemaei et veterum scriptorum coniungebant, antiquis nominibus φρυγιστὶ δωριστὶ similibus ne mutata quidem vetere musica uti desierunt. Sed cum alii alias rationes vel errores in antiquis nominibus ad ecclesiasticos tonos transferendis sequerentur, aliis nominibus Hucbaldus et veteres scriptores latini, aliis Manuel Bryennius qui quarto decimo saeculo vixit, aliis denique recentissimi scriptores Chrysanthus, Philoxenus, Margarites utuntur in hunc modum:

	Hucbaldus.	Bryennius.	Script. recentiores
ἦχος α΄	dorius	ὑπερμιξολύδιος	δώριος
ἦχος β΄	phrygius	μιξολύδιος	λύδιος
ἦχος γ΄	lydius	λύδιος	φρύγιος
ἦχος δ΄	mixolydius	φρύγιος	μιξολύδιος
ἦχ. πλ. α΄	hypodorius sive aeolius	δώριος	ὑποδώριος
ἦχ. πλ. β΄.	hypophrygius	ὑπολύδιος	ὑπολύδιος
ἦχ. βαρύς	hypolydius	ὑποφρύγιος	ὑποφρύγιος
ἦχ. πλ. δ΄	hypomixolydius.	ὑποδώριος.	ὑπομιξολύδιος.

Atque recentiores scriptores graeci, cum in reliquis partibus cum Hucbaldo conspirent, nomina λύδιον et φρύγιον inverterunt, quod nescio an errore, oscitantia scriptorum illo quidem propagato, factum sit. Bryennium autem artificiosius quam verius octo tonos disposuisse, nec non musica sua aetate magna ex parte immutata in errores inductum esse in commentatione de Man. Bryennio nuper demonstravi. Denique ne Hucbaldus quidem veteresque scriptores latini antiqua nomina recte ad tonos ecclesiasticos transtulerunt, quoniam pentekaidekachordo utebantur, quod quamvis veteris pentekaidekachordi et speciem et nomina mutuatum esset, tamen aliter nervos dispositos habebat, quam rem Westphal I, 219 ingeniosissime dilucidavit.

Nihil igitur ex antiquis illis nominibus ficticiis, quae vis et natura octo tonorum fuerit, concludi potest. Testimonia autem latinorum scriptorum si sequimur, antiquitus octo toni sono finali hoc modo differebant:

ἦχ. α΄ et ἦχ. πλ. α΄ sono finali utebantur πα (d)
ἦχ. β΄ et ἦχ. πλ. β΄ - - - βου (e)
ἦχ. γ΄ et ἦχ. βαρύς - - - γα (f)
ἦχ. δ΄ et ἦχ. πλ. δ΄ - - - δι (g).

Sed cum melodi graeci in tenuitate priscorum modorum non acquiescerent et maiori modulationum varietati studerent, brevi factum est, ut discriminatione illorum finalium sonorum turbata multae melodiae ἤχου α΄ in κε, ἤχου δ΄ in βου, ἤχου βαρέος in ζω finirentur. Huc accessit, quod, ne nimia modorum simplicitate taedium hominibus moverent, non omnes eiusdem toni periodos eodem sono finali finiebant; quamobrem tria genera καταλήξεων esse statuerunt, τελικῶν in fine tropariorum, ἐντελῶν in fine periodorum mediis in carminibus, denique ἀτελῶν in fine colorum et commatum, quo loco cum melodiae magis suspenderentur quam clauderentur, maxima licentia utebantur. Huius mutatae artis locupletissimus testis Man. Bryennius est, qui octo ἤχους scalis et duplicibus sonis finalibus hoc modo discriminavit:

	κλίμαξ	ὑπάτη	μέση
ἦχ. α΄	μέση — νήτη ὑπερβολαίων = δι — δι΄ = g — $\bar{g}$	κε	πα΄
ἦχ. β΄	λιχανὸς μέσων — παρανήτη ὑπερβολ. = γα — γα΄ = f — $\bar{f}$	δι	νη

ἦχ. γ΄	παρυπάτη μέσων — τρίτη ὑπερβολ. = βου — βου΄ = e — $\bar{e}$	γα	ζω
ἦχ. δ΄	ὑπάτη μέσων — νήτη διεζευγμένων = πα — πα΄ = d — $\bar{d}$	βου	κε
ἦχ. πλ. α΄	λιχανὸς ὑπάτων — παρανήτη διεζ. = νη — νη = c — $\bar{c}$	πα	δι
ἦχ. πλ. β΄	παρυπ. ὑπάτων — τρίτη διεζ. = ζω — ζω = $\bar{H}$ — h	νη	γα
ἦχ. βαρὺς	ὑπάτη ὑπάτων — παραμέσῃ = κε — κε = A — a	ζω	βου
ἦχ. πλ. δ΄	προσλαμβανόμενος — μέση = δι — δι = G — g	κε	πα.

Sed ne cum Westphalio iusto plus scriptori byzantino confidas, non solum Ptolemaei systematis, quo tamquam fundamento argumentationis usus est, intervalla aliter disposuit, sed etiam multa, ne artificiosa dispositio octo ἤχων turbaretur, partim omisisse, partim mutasse probatur.

Praeter Bryennium exigua admodum et parca testimonia mutatae vis octo tonorum nobis suppetunt. Atque certissima quidem indicia in μαρτυρίαις posita sunt, quas supra p. CXVI iam attigimus. Hic enim ζω tamquam sonus finalis ἤχου βαρέος significatur, et βου novi cuiusdam toni sonus finalis ita statuitur, ut ἦχ. β΄ et ἦχ. πλ. β΄ alii soni finales, extra gradus scalae diatonicae positi, assignentur. Cum his autem indiciis μαρτυριῶν hoc conspirat, quod praeter octo ἤχους duos novos constituerunt, alterum Λέγετον vocatum et eas melodias ἤχου δ΄, quibus βου sonus finalis erat, complectentem, alterum Βεγαγω dictum et partem modorum ἤχου πλ. β΄ comprehendentem.

Nostra vero memoria ad octo tonorum discriminationem redierunt, sed in multifaria varietate melodiarum non unum soni finalis signum, sed plura signa cuiusque toni esse docent, ἀπήχημα dico sive προετοιμασίαν τοῦ ψαλθησομένου μέλους, ἴσον sive βάσιν, quam pueri ἰσοκρατοῦντες (vide p. CXIII), dum praecentor carmen modulatur, retinent, καταλήξεις sive sonos finales, τόνους δεσπόζοντας sive sonos in quoque carmine praecipuos, ad postremum κλίμακα sive scalam cuiusque toni. Horum signorum certissima esse dicunt τὰ ἀπηχήματα, quae in brevissimo compendio artis musicae, quod Gerbert De cantu et musica sacra tom. II tab. VIII in lucem edidit, omnia perscripta sunt. Soni autem finales cuiusque toni quantopere fluctuent, ex hoc indice finalium sonorum, quem ex libris recentiorum magistrorum excerpsi, optime intellegas:

ἦχ. α΄: εἱρμολογικῶς πα, στιχηραρικῶς fere πα, παπαδικῶς fere πα et κε.
ἦχ. πλ. α΄: fere πα, εἱρμολογικῶς κε.
ἦχ. β΄: fere βου et δι, εἱρμολογικῶς πα.
ἦχ. πλ. β΄: στιχηραρικῶς et παπαδικῶς δι et πα, εἱρμολογικῶς βου.
ἦχ. γ΄: γα.
ἦχ. βαρύς: στιχηραρικῶς et εἱρμολογικῶς βου, παπαδικῶς δι.
ἦχ. δ΄: στιχηραρικῶς πα et βου, εἱρμολογικῶς βου, παπαδικῶς δι.
ἦχ. πλ. δ΄: νη et γα.

Scalarum autem, quamvis suam cuiusque ἤχου esse statuant, tamen tres tantum species sunt, quae cum tribus generibus musicae cohaerent. Atque

diatonica quidem scala, qua de in superiore capite disserui, ἦχου α′, ἦχου πλ. α′, ἦχου δ′ communis est, nec non in plerisque melodiis ἦχου πλ. δ′ adhibetur. Non multum ab diatonica scala differt κλίμαξ ἐναρμόνιος, quae tertii ἦχου propria est. Quoniam enim scala quae ab sono γα orditur

γα δι κε ζω νη πα βου γα
| 12 | 12 | 9 | 7 | 12 | 9 | 7 |

ipsa parum modulata est, ad similitudinem eius scalae, quam nos f dur dicimus, immutatur, quae quidem immutatio in libris melodiarum ita indicatur, ut notis musicis ζω et βου signum ♯ addiiciatur. Hac igitur de parte scala enharmonia Byzantinorum nihil novi habet; praeterea autem hoc proprium cantilenarum ἦχου γ′ est, quod soni κε et πα infirmissima voce (ἀδυνάτῳ φωνῇ) cantari solent, quam rem cum plerique ex minuto intervallo repetendam esse censeant, hanc scalam enarmoniam tertii toni esse dicunt:

γα δι κε ζω νη πα βου γα
| 12 | 12 | 3 | 13 | 12 | 3 | 13 |

Peculiarem vero locum sibi vindicat κλίμαξ χρωματικὴ Byzantinorum, quae ἦχου β′ et ἦχου πλ. β′ propria est et adeo Europaeis novum et insolitum sonat, ut cantilenae horum tonorum nostris notis musicis plane exprimi nequeant; quo molestius ferimus, quod graeci scriptores ipsi in intervallis huius scalae definiendis sibi non constant; alii enim eam κατὰ διφωνίαν sic progredi docent:

| 7 | 12 | 7 | 12 | 7 | 12 | 7 |

alii, ut Margarites, subtilius haec intervalla statuunt:

| 7 | 14 | 7 | 12 | 7 | 14 | 7 |

Videtur autem hoc proprium esse huius scalae chromaticae, quod alterum quodque intervallum semitonii est; quoniam autem scala chromatica non minus quam diatonica a quolibet sono initium capere potest, perversa illa distinctione intervallorum duodecim, novem, septem particularum comprobata fieri non potuit, quin in spinas et salebras musici scriptores inciderent.

Veteres philosophos suam cuique harmoniae vim ad animos hominum commovendos tribuisse constat. Ridicule autem recentiores scriptores, cum vetera harmoniarum nomina ad octo tonos ecclesiasticos falso translata esse non perspexissent, Platonis Aristotelis Plutarchi dicta ad res diversissimas trahunt. Omnino tot et tantas vices singuli ἦχοι subierunt, ut certam quandam indolem cuique tono tribuere difficillimum sit. Equidem satis habeo versus Octoechi, satis illos quidem inanes et inficetos, hoc loco apponere:

ἦχ. α′ Τέχνη μελουργὸς σοὺς ἀγασθεῖσα κρότους
πρώτην νέμει σοι τάξιν· ὢ τῆς ἀξίας!

ἦχος ὁ πρῶτος μουσικῇ κληθεὶς τέχνῃ
πρῶτος παρ' ἡμῶν εὐλογείσθω τοῖς λόγοις·
τὰ πρῶτα, πρῶτε, τῶν καλῶν λαχὼν φέρεις·
πρωτεῖα νίκης πανταχοῦ πάντων ἔχεις.

ἦχ. β΄ Κἂν δευτέραν εἴληφας ἐν τάξει θέσιν,
ἀλλ' ἡδονὴ πρώτη σοι τῷ μελιρρύτῳ·
τὸ σὸν μελιχρὸν καὶ γλυκύτατον μέλος
ὀστᾶ πιαίνει καρδίας τ' ἐνηδύνει.
Σειρῆνες ᾖδον δευτέρου πάντως μέλη·
οὕτω πράως σοι ῥεῖ μελισταγὲς μέλος.

ἦχ. γ΄ Εἰ καὶ τρίτος σὺ, πλὴν πρὸς ἀνδρικοὺς πόνους
σύνεγγυς εἶ πως τοῦ προάρχοντος, τρίτε·
ἄκομψος, ἁπλοῦς, ἀνδρικὸς πάνυ, τρίτε,
πέφηνας ὄντως, καὶ σὲ τιμῶμεν, τρίτε·
πλήθους κατάρχων ἰσαρίθμου σοι, τρίτε,
πλήθει προσήκεις προσφυῶς ἡρμοσμένῳ.

ἦχ. δ΄ Πανηγυριστὴς καὶ χορευτὴς ὢν φέρεις
τέταρτον εὖχος μουσικωτάτῃ κρίσει·
σὺ τοὺς χορευτὰς δεξιούμενος πλάττεις (?),
φωνὰς βραβεύεις καὶ κροτῶν ἐν κυμβάλοις·
σὲ τὸν τέταρτον ἦχον, ὡς εὐφωνίας
πλήρη, χορευτῶν εὐλογοῦσι τὰ στίφη.

ἦχ. πλ. α΄ Θρηνῳδὸς εἶ σὺ καὶ φιλοικτίρμων ἄγαν,
ἀλλ' εἰς τὰ πολλὰ καὶ χορεύεις εὐρύθμως.
ὁ μουσικὸς νοῦς, ὃν ἐγνώρισεν τέχνη,
τίς ἡ παρεκκλίνουσα κλῆσις πλαγίων,
πέμπτον σε τάξις (an τάξιν?), ἀλλὰ πρῶτον τοῦ μόνου (?)
ἔχει σε καὶ λέγει σε, πρῶτε πλαγίων.

ἦχ. πλ. β΄ Ἕκτος μελῳδὸς, ἀλλ' ὑπέρπρωτος πέλεις,
ὁ δεύτερος σὺ δευτερεύων τῶν μελῶν·
τὰς ἡδονὰς σὺ διπλοσυνθέτους φέρεις,
τοῦ δευτέρου [σὺ] πως δευτερεύων δευτέρως·
σὲ τὸν μελιχρὸν, τὸν γλυκὺν, τὸν τέτταρα,
τὸν ἐν πλαγίοις δεύτερον τίς οὐ φιλεῖ;

ἦχ. βαρύς Ὁπλιτικῆς φάλαγγος οἰκεῖον μέλος
ὁ τοῦ βαροῦς σὺ κλῆσιν εἰληφὼς φέρεις·
ἦχον τὸν ἁπλοῦν τὸν βαροῦς ἐπώνυμον
ὁ τοὺς λογισμοὺς ἐν βοαῖς μισῶν φιλεῖ,
ἀνδρῶν δὲ ᾆσμα, δευτερότριτε, βρέμεις,
ὢν ποίκιλος δὲ τοὺς ἁπλοῦς ἔχεις φίλους.

ἦχ. πλ. δ΄ Ἦχων cφραγὶc, τέταρτε cὺ τῶν πλαγίων,
ὡc ἐν ceαυτῷ πᾶν καλὸν μέλος φέρων.
ἀνευρύνειc cὺ τοὺc κρότουc τῶν ᾀcμάτων,
ἤχων κορωνὶc ὡc ὑπάρχων καὶ τέλοc·
ὡc ἀκρὸν ἐν φθόγγοιc τε καὶ φωνῶν cτάcει
ἀκρόν ce φωνῆc δὶc καλῶ ce καὶ τέλοc.

DE NOTIS MUSICIS.

Multi vereor, ne a byzantina musica ecclesiastica tractanda proprietate notarum musicarum deterreantur, quae cum a nostra ratione modos scribendi toto coelo differant, non exiguam nobis difficultatem parant. Illi enim nec lineis nec notis nostris utuntur, sed continuis signis, quanto intervallo insequens sonus a praecedente distet, significant. Itaque unicuique melodiae basim praefigunt, a qua quantum primus sonus modorum distet, prima nota indicant, deinceps reliquis notis ascensionem et descensionem vocis significant. Praeterea aliis peculiaribus signis utuntur, quibus intensio vocis, temporum productio aut correptio, toni mutatio (ἤχου φθορά) denique varii vocis flexus exprimantur. Atque haec quidem notarum scriptura, quae neumatis in occidentalibus partibus Europae medio aevo usurpatis simillimae sunt, ex manuum motibus (χειρονομία), ut supra p. CXIV monuimus, orta est, sed iam decimo saeculo et exculta et in codicibus usurpata esse videtur. Quod autem ab Ioanne Damasceno eam inventam esse Chrysanthus p. 31 asseverat, nullo testimonio confirmatum invenimus. Neque nihil annis volventibus hanc scripturam mutatam esse codices vel obiter inspecti persuadent, sed nullo, quod sciam, libro haec res accuratius et copiosius pertractata est. Quae autem scribendi ratio quinto decimo saeculo in usu fuerit, anonymi cuiusdam ψαλτικὴ τέχνη et Ioannis Cucuzelis carmen de signis (μέλος περὶ cημαδίων), a Gerberto in libro de musica sacra tom. II tab. VIII (conf. Beiträge S. 61—64) edita, docent. Magnopere vero initio huius saeculi ab auctoribus novae methodi musicae Chrysantho, Gregorio, Churmuzio immutata est, qui multis supervacaneis signis abiectis artem simpliciorem facilioremque ad intellegendum reddiderunt. Atque ea quidem, quam emendatores illi musicae disciplinae constituerunt, ratio scribendi in libris melodiarum in secundo libro extremo a nobis recensitis usurpata est.

Iam ut summa huius artis capita succincta oratione percurram, gravissima signa ea sunt, quibus ascensio et descensio vocis indicatur. Sonorum (φθόγγων) autem ascendentium et descendentium signa decem numero sunt, sex ascendentium (ἀνιόντων) et quatuor descedentium (κατιόντων):

⏑ ἴcον	parem sonum nec ascendentem nec descendentem significat,
‒ ὀλίγον	sonum uno intervallo altiorem,

πεταστὴ sonum uno intervallo altiorem exsultimque ascendentem,
δύο κεντήματα sonum uno intervallo altiorem punctimque ascendentem,
κέντημα sonum duobus intervallis altiorem,
ὑψηλὴ sonum quatuor intervallis altiorem,
ἀπόστροφος sonum uno intervallo graviorem,
ὑπορροὴ sonum duobus intervallis graviorem sensimque descendentem,
ἑλαφρὸν sonum duobus intervallis graviorem mediumque sonum supersalientem,
χαμηλὴ sonum quatuor intervallis graviorem.

Praeterea decem haec signa vario modo coniunguntur, ut vocem tribus vel quinque intervallis ascendere aut descendere indicent; quo autem pacto coniungenda sint, quae partes superiorem (σημεῖα ἐπιτακτικά), quae inferiorem locum (σημ. ὑποτακτικά) obtineant, singulatim praecipiunt; eaque signa, quae nisi aliis imposita non inveniuntur, ut κέντημα et ὑψηλὴν, πνεύματα, quae aut sola scribuntur aut aliis subiunguntur, ut ὀλίγον et πεταστὴν, σώματα appellant.

Decem quae enarravi signa ad altitudinem vocis spectant, quam graeci scriptores ποσότητα μελῳδίας parum accommodate dicunt, his undecim alia accedunt, quae qualitatem melodiae (ποιότητα μελῳδίας) indicare dicuntur. Ex his quatuor, cum ad temporis spatium pertineant, ἔγχρονα audiunt:

κλάσμα ἀργόν
γοργόν ἁπλῆ.

Atque primum quidem signum, in commentariis illius anonymi iam commemoratum, ultimis sonis cuiusque coli et periodi additum sonum syllabamque ita producendam esse monet, ut duplicem temporis moram expleat. Veteribus in membranis hoc signum frustra quaesivi, unde ne temere concludas eius vim in clausulis protrahendis antiquitus neglectam esse; immo vero cum productio syllabarum clausulae in ipsa rerum natura posita esse videretur, apertam rem signis indicare supersedisse probantur. Contraria sibi sunt duo sequentia signa, etiam extra fines clausulae usurpata, γοργὸν et ἀργόν, quorum prius corripiendam, alterum producendam syllabam, cui additum est, monet. Atque posteriore quidem nota uni sono duas moras (𝅗𝅥) tribuendas esse significatur, prioris autem vis etiam ad sequentem sonum ita pertinere dicitur, ut duo soni coniuncti unius temporis moram expleant (♫). Quartum signum, et inutile et raro usurpatum, prorsus eandem vim habet atque ἀργὸν et κλάσμα. Praeterea tribus extremis signis duplicatis vel triplicatis duplici vel triplici parte syllabam aut producendam aut corripiendam esse indicant.

Septem alia signa, cum ad solam qualitatem soni spectent, ἄχρονα dicuntur:

◟ βαρεῖα	◞ ἕτερον ἢ cύνδεcμοc
◝ ὁμαλόν	◜ ἐνδόφωνον
◝ ἀντικένωμα	+ cταυρόc.
◞ ψηφιcτόν	

Horum duo, βαρεῖα et ψηφιστόν, quam vim ad accentus syllabarum acuendos habeant, iam in tertio libro p. LXXVII fuse explicavi. Simile quiddam duo alia signa ἀντικένωμα et ὁμαλὸν valent, quorum prius undulatum motum vocis e faucibus non sine vehementia erumpentem (κυματισμὸν τῆς φωνῆς ἐκ τοῦ λάρυγγος μετὰ ἀνεπαισθήτου ὀξύτητος) significat, alterum, coniunctis signis ὀλίγου et ἀποστρόφου subiectum, sonum ὀλίγου erigit, ut paene idem, quod signum πεταστῆς, valere videatur. Cύνδεσμος autem duo sonos coniungit, σταυρὸς divellit, ἐνδόφωνον denique vocem ore occluso per nasum emittendam esse indicat. Atque haec quidem signa etiamnunc in usu sunt, antiquitus autem multo pluribus ad vocis varios flexus significandos utebantur, quorum nomina hic afferre et cum similibus notis Notkeri (vide Gerbert Scriptores eccl. de mus. p. 95 sq.) componere satis habemus: ἴσον, διπλῆ, παρακλητικὴ, κράτημα, κύλισμα, ἀντικενοκύλισμα, τρομικὸς, ἐκστρεπτὸν, τρομικοσύναγμα, ψηφιστοσύναγμα, θεματισμὸς ἔσω, θεματισμὸς ἔξω, ἐπέγερμα, παρακάλεσμα, ξηρὸν, οὐράνισμα, ἀπόδερμα, θὲς καὶ ἀπόθες, θέμα ἁπλοῦν, χόρευμα, ψηφιστοπαρακάλεσμα, τρομικοπαρακάλεσμα, πίεσμα, σεῖσμα, σύναγμα, ἔναρξις, λύγισμα, στράγγυσμα, κολαφισμὸς, βυθογρόνθισμα, χαιρετισμὸς, ἀνατρίχισμα.

Denique musici byzantini peculiaribus signis utuntur, quibus ab uno tono ad alterum transeundum (σημεῖα φθορᾶς ἤχου) et ab usitatis scalarum intervallis paululum deflectendum esse significant; eosdem autem et pedum et pausarum notationibus carere supra iam diximus.

Ne autem hac arida enarratione signorum hunc librum finirem, insigni benevolentia archimandritae Tergestini Eustathii Thereiani cautum est, qui celeberrimas melodias nostris notis musicis expressas nobis commodavit, quas hoc loco publico usui proponere visum est. Licet enim et ipse fieri posse negem, ut proprietates graecarum melodiarum cum aliarum tum chromaticarum nostris notis musicis plane reddantur, et Timotheus Milesius nuper in commentatione περὶ τῆς μουσικῆς τῶν νεωτέρων Ἑλλήνων (vide Πανδώρα 1. Ian. 1871) omnem conatum graecos modos nostris notis exprimendi damnaverit, tamen futurum esse spero, ut, si rem in aprica luce positam conspicere non liceat, ne umbra quidem rei contemnatur. Minus autem discriminibus scalarum diatonicarum Europaeorum et Byzantinorum me commoveri supra iam indicavi; magis me difficultates mollitiem vocis quorundam sonorum enharmonici et chromatici generis reddendi conturbant. Rhythmici vero pedes vereor ne magis oculis lectorum rectis lineis indicati esse videantur, quam auribus auditorum sese insinuent; denique illud dubito, num aegre ferant, quod vocem per nares emittendam, id quod in cantu Graecorum nostras aures maxime offendit, notis nostris significare neque potuimus neque voluimus.

Κανὼν τοῦ μεγάλου σαββάτου. p. 196.

ἦχος πλ. β'.

Andante.

ᾠδὴ α'.



ᾠδὴ γ'.

ᾠδὴ δ'.

ᾠδὴ ε'.



ᾠδὴ ς'.

δο-θε - - - - ν τος ως εκ θα-λα - - μου του θη-ρος α - νε - θο - ρε. προ-σε-
φω-νει δε τη κου - στω-δι - α οι φυ-λας-σο - - - - - - με νοι μα - - ται-α
και ψευ-δη ε - λε - ον αυ-τοις εγ - κα τε - λι - - - - πε - - τε.
ψδὴ ζ'.
Α - φραστον θα - υ - μα ο εν κα - μι - - - νῳ ρυ - σα-με - νος
τους ο - σι - - ου - ς παιδας εκ φλο-γος εν τα - φῳ νε - κρος απνους κα - τα
τι-θε ται εις σω - τη - ρι - αν η - μων των με - - λω-δουν των λυ-τρω - τα
ο θε - ος ευ - λο - - γη-τος ει.
ψδὴ η'.
Ε - κ στηθι φριττων ου-ρα - νε και σα-λευ-θητω - σαν τα θε-
με-λι - α της γης ι - δου - - - γαρ εν νε-κροις λο-γι - ζε - ται ο εν υ - ψι - στοις οι-
κων και τα-φῳ σμι-κρῳ ξε - νο - - δο-χει-ται ον παιδες ευ-λο - γει-τε ι - ε - ρεις
α - - - νυ-μνει-τε λα - ο - - ς υ - πε-ρυ - ψου - - τε εις παν τας τους αι-ω νας.

ᾠδὴ θ΄.



Κανὼν τῆς Ἀναστάσεως. p. 218.

ἦχος α΄.

Andante.

ᾠδὴ α΄.

ᾠδὴ γ΄.

ᾠδὴ δ'.



ᾠδὴ ϛ'.

ᾠδὴ ζ'.

ᾠδὴ η΄.

ᾠδὴ θ΄.



Προσόμοια.

Allegro.

ἦχος α΄.

πυ - - λαι και εν - τος γε - νο - με - νοι του ξυ - λου της ζω - η - ς α - πο - λαυε - τε Χρι-
στῳ πρεσβευσα - τε δω - ρη - θη - - ναι - ταις ψυ - χαις η - μων την ει - ρη - νην και το
με - γα ε - - - λε - - ος.
ἦχος β'.
Οι - κος του Ευ - φρα - θα η πο - λις η - - - α - γι - α των προφη-
τω - ν η δο - ξα ευ - τρε - πι - σον τον οι - - - - κον ε - νῳ το θει - ον τι - κτε - ται.
ἦχος γ'.
Με - γα - λη των μαρ - τυρων σου Χρι - στε η δυ - να - μις εν μνημα-
τι γαρ κειν - ται και πνευμα - τα δι - - ω κου - ci - και κα - τηργη - σαν εχ-
θρου την ε - ξου - ci - - - - - - αν τῃ πι - στει της τρι - α - - - δος α - γω - νι - σα - με-
νοι υ - περ της ε - υ - σε - - βει - ας.
ἦχος δ'.
Η - θε - λον δα - κρυ - σιν ε - ξα - λει - ψαι των ε - μων πταισματων κυ-
ρι - ε το χει - ρο - γρα - φον και το υ - πο - λοιπον της ζω - ης μου δι - α με - τα-

νοι - - ας ευ - α - ρε - στη-σαι σοι αλ - λο εχ-θρος α - πα - τα - με και πο - λε-μει
την ψυ-χην μου κυ - - ρι - ε πριν εις τε - λος α - πο - λω-μαι σω-σον με.
ἦχος πλ. α΄.
Χαι-ροις α - σκη-τι - κων α - λη - θως α - γω-νις-μα - των το ευ-
